IOHAN. ISACI PONTANI ANALECTORUM LIBRI TRES, IN QUIS AD PLAUTUM...

Johannes Isaacus Pontanus





Illustribus ac prudentißimis

FRISIÆ
ORDINIBUS

JOHANNES ISACIUS Pontanus
S.



AUCI ab omni ævo reperti, qui ſolis ita literarum virtutumq; ſtudijs dediti, ut illis ætatis omne curriculum vel illuſtrandis vel juvandis impenderint. Plurimi econtra literatis quidem in ſpeciem, laborioſis tamen immerſi negotijs, vitæ ſine fructu, ſine voluptate, ſine deniq; mentis bonæ proventu, annos & ævum emeruêre. Illis benefacta & virtus, quæ ſui ſolius præmium, in oculis; Iſtis dignitates & ambitus, & illa, quæ aſpici ferè ſolet, rei faciendæ paratior area. Et ea non olim modò ſed & hodieq; nec vulgi ſolius, verum etiam ſapientiorum, ſi fortè, ſententia, totum hoc humanitatis & quietis magiſterium, ut ſcopulos neſcio quos Sirenæos, declinandum caventium. Magni ſcilicet & ſupra humanos errores eminētis judicij eſt, nullo ho-

norum aut mercedum incendio, rectum iter virtutis insistere, rebus pulcherrimis eruendis incumbere, omne ævum suo demereri. Cui otio quod anteponendum negotium? Quid pulchrius agere, nihil agentes, possumus? Hæc illa, ni fallor, quies est quam Divus Augustus in tanta occupationum mole precari sibi non desinebat. Hoc illud otium quod usu quia non poterat, cogitatione præsumebat. Hoc illud quo labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi. Nam ut eximie de se ille olim Sapiens; *Nunquam minus sum solus, quàm cum solus*; Sic quicunque graviora & primaria illa studia Musarum amænitatibus libenter perfundimus, nunquam esse minus otiosos æstimandum, quam cum otiosi. Tunc licebit cum Socrate, cum Platone disputare, cum Carneade dubitare, cum Seneca verè philosophari. Tales, inquam, aliosque meliorum doctrinarum antistites quid optatius quam habere quotidie non solùm quam familiarissimos, sed, quæ seculi majorumque fuit sive incuria, sive cura scævior, sibi etjam obnoxios reddere? Nos itaque ut annò Aurelium Macrobium, felicissimis optimi & nobilissimi viri Arnoldi WitfeldI auspicijs, ope MSS. restitutum & auctum, ductu maximè atq; suasu illustriss. Josephi Scaligeri edidimus: ita nunc Analectorum tres libros, in quis non unum sed aliquot passim Scriptores antiquos novâ perfudimus luce, publica in ora producimus. Ajunt Apellem, tabulis quodāmodo absolutis, illas arbitrandas etjam propalam exhibuisse, ut quod notari animadverteret, haberet, si videretur, aut efformandi accuratius aut retractandi cogi-

di cogitatum. Simile & hiſce ſcriptis fit; Ea quidem autorum veterum ævo longo collapſis aut obſitis ſitu membris opem nitoremque promittunt, nihil tamen niſi quod excultiſsima quæque ingenia vel edecumaverint vel approbaverint,ſuis,ut ſic dicam, cubilibus & locis per edendi occaſionem reponitur. De nobis verò, quamvis veritatem ubivis præſtare non audeamus, ejus tamen perquam ſtudioſos fuiſſe veraciter poterimus aſſerere. Chirographos itaq; libros, quales ipſi varijs peregrinationibus, quantum quidem potuit fideliſsimè & anquiſivimus & inſpeximus, ſemper uti duces habuimus. Idque in Plauto præſertim & Senecis ſperabo me haud infeliciter operatum. Quibus conatibus meis cum jam patronum deberi viderem, vos, viri illuſtres, in primis occurriſtis: Vos enim ut ſigna quædam erecta & Phari effulgetis laborantium, hac temporum armorumque tempeſtate, liberalium ſtudiorum. Quæ profectò ut ævo omni ſingularis & magna laus; ita in vobis hoc magis ſingularis & rara, quod & pari dexteritate belli munijs & pacis hujuſmodi ornamentis ſufficitis. Dixerat olim ille ad Imp. Trajanum: *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium toga ſed non & arma honeſtarunt: ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit*, Sed veniat jam ille Plinij magni eximius nepos; & quas tunc mente fortaſsis imaginabatur virtutes, in vobis, fortiſsimi & pacatiſsimi Domini, oculis quodammodo recognoſcere habebit & admirari. Vos in ſago eminentes, in toga vigentes. Vos domi foriſque, vos

 militiæ

militiæ atque honore literarum longe lateque glo-
riosi. Vnde & ipsa veterum veriverbia quod fieri negavere, res duas diversissimas conjugastis, Martem videlicet & Musas. Adeò ut haud vanè æstimandum, quæ priscis illis de Hercule olim Musarum celebrata, vobis meritissimò deberi, viri heroes. Vos, inquam, veri illi Musarum & Quietis Herculei defensores, vestræ sunt virtutes, vestra præclara facinora, quæ celebria jam & persona per Europam voce Musarum. En causæ, viri prudentissimi, quæ vel solæ compellant ad illustrem hanc nominis præsertim & autoritatis vestræ præscriptionem. Haud tamen ista frontis illius confidentia, nisi & animos simul faceret, qui jam annos aliquot in amplissimo consessu vestro, vir diutina rerum tractatione exercitus, eoque Reipublicæ ac Patriæ salutaris jamdiu & carus, Alardus Iacobæus. Cujus in nos & studia nostra benigno jam olim Zephyro, si vester adaspiraverit Favonius, & hoc quicquid ingenij & muneris nostri est, qualecunque, haud habuisse pro ingrato comperero, summa votorum sit. Benè valete. Rostochio KL. April.

CIↃ IↃ IC.



AD LE-

AD LECTOREM.

ANALECTA *hos libros inscripsi, Lector, idq; ex re ipsâ. Paßim n. post eruditos & serios censores varios vetustosq; scriptores & adnotamus & emendamus. Nihil interim de laudibus doctißimorum hominum praecerpimus, at multum adjicimus diligentiae. Saepius ingenio rem gerimus, saepißimè tamen libris; quorum illud industriae, hoc laboris est, utrumq; judicij. Et verò superent etiamnum haud pauca, sed nos inter alias occupationes haud pares festinantibus operis, tum etjam mendorum quae obrepere hac re sparsim erat advertere, taedio, & illa & alia reservanda censuimus. Erit itaq;, benivole lector, tuum ad errata, quae in calcem & hic quoq; subjecimus, diligenter revisere. Illud etiam extra ordinem monendus cap. 9. lib. 1.* Nihil amor injurium est, *nullo nostro studio sed simili operarum expressum culpâ, cum debuerit uti in erratis posuimus*, amori. *Quod ideò iterato dicimus, quia sententia alioquin tota vel pendula ibi vel nulla. Haec aliaq; libenter, scio, restituent illi, qui in suum seu usum literarum aliquid elaborari gratulantur. Ceteris & qui lectitando, scribendo,*

commen.

commentando, nunquam, ut ait ille, voluptates, nunquam labores ceperunt, nunquam hoc genus vigilias vigilarunt, alia non ista inquirenda oblectamenta, Nobis propositum bonis doctisq; hæc potius quàm pluribus probare. Si qua tamen planè parum aut solidè minus videbuntur demonstrata, petimus ut ea non docendi ergò sed admonendi hîc censeant acervata. Talia enim vestigiorum jam veluti pressis signis, facilè aut persequentur alij, aut libris melioribus repertis, si fortè, firmabunt. Alia verò & quæ notâ nigriori (qualia etjam futura non ambigimus) scribenda putabuntur, ijs animos & æquos & placidos apprecamur, seriò acerbitatem detestantes & judicij loco livorem. Patet omnibus veritas, nondum est occupata,



Corrigenda.

Lib. 1. cap. 4. palæstra c. 12. Cleanthes. c. 13. suspicor c. 14. pudicitia. Lib. 2. cap. 3. Mæandrum. c. 5. circo c. 10. Chaldæi c. 12. ecastor. item: Plauti itaq; c. 15. Nymphæ. Lib. 3. c. 3. exstat. item: probabiliter. c. 4. non comparebant. cap. 9. chlamydate. Et si qua alibi alia per te videbis, benivole Lector &, emendabis.

In Ana-



IN
ANALECTA

IOANNIS ISACI Pontani

viri clarißimi

amici certißimi

EILHARDVS LVBINVS.

Γράμμα τόδ' Ισακίοιο δαήμονος, ὅς τινι λεπτῇ
φροντίδι τὰς βίβλους ἐφράσατ' ἐλλογίμων.
πάνσοφα τῆς ζαθέης ἀνάγων Ἀνάλεκτα τραπέζης
νεκταρέων λιβάδων ἔμπνοα, καὶ ἀμβροσίης.
χαῖρε μάλ', ὦ μουσῶν ὕπατον κλέος. Ἀλλὰ σὺ Μῶμε
ἔξιθι, καὶ εἰς ἄλλους ὀξὺν ὀδόντα βάλε.



IOHANNIS TILINGI OLDENB.

Ad eundem


ODA.

ARDOR parandi laudis adoream
Multos adumbratis titulis agit,
Famam ut queant Calpes remotis
Continuare jugis perennem.

Hic perfidum transmittere Bosporum,
Et vultuosos non dubitat Getas
Vexare bello, partem honoris
Missilibus repetens sagittis.
Alter biremis præsidio scaphæ
Tutus, pererrat regna Hyperionis
Subjecta proli, avetq; scire
Quid Tanais paret inquietus.
Cernes & ædes ponere quos juvet
Cælo minantes & Jovis æmulas:
Cernesque longâ qui tumescant
Progenie aut statuis parentum
Rubiginosis. Sed taciturnitas
Hæc cuncta delet livida temporum,
Oblivioso cuncta fato
Victa ruunt carievé adesa.
Vixêre fortes Amphithryonidis
Ætate multi, perpetuus sopor
Quos urget omnes jam silenti
Nocte, carent quia vate sacro.
Quod namq; chartis Musa fidelibus
Mandavit, unum est ære perennius
Omni, manetque post peracta
Fata, mori metuente pennâ.
Quæ laus recisæ nunc foret Iliæ,
Aut Patroclum quis norit & Hectora,

Si vatis

Si vatis Andini ſilerent
Mæonijve graves Camænæ?
Ergo beatum quid ni ego te rear
Decus virorum Mercurialium
PONTANE, vindex atq; cenſor
Non levis Auſonij leporis?
Cui Dædalæ chartis volupe eſt ſacris
Vacare & impalleſcere Pallados,
Nomenq; præmium laboris
Ex adytis Sophiæ parare;
Quod non vel ignis vel mare naufragum
Inersve livor, vel fuga temporum,
Perdat, ſed omni majus Ate,
Tu veluti meritus, perennet.
Nam reddidiſti MACROBIVM ſuo
Privo nitori, nunc ANALECTA das
In publicum, (λέγων δ' ἀγανὸ ὐ
τὔνομα μακρόβιόντε) forſan
Muſis daturus plura faventibus.
Perge atq; docto ſidera vertice
Pulſabis olim, grande munus
Cecropio repetens cothurno.





Ad eundem

IOHAN. ZOBEL BREMANVS.

TEmpus erat, blandis quo Jupiter æquus ocellis
Terram atq; ingratos terræ intueretur alumnos:
Cum Latij nitor eloquij penè omnibus esset
Cognitus, & tacitis cum semisepulta tenebris
Abstrusam ornaret Respublica Martia frontem.
Ingeniûm seges ista fuit seges ampla bonorum.
Emersêre homines quorum præcordia Titan
Finxerat è meliore luto, queis Juppiter altam
Mentem inspirârat; Parnaßiq; avia rupis
Aonidum queis terna trias monstrasse sororum
Credebatur aquisq; Aganippidos Hippocrenes
Mersisse, humanum ut genus ingenio superarent.
Tum linguæ Ausoniæ potuit quæ maxima virtus
Esse, fuit, cœloq; ingens se gloria vexit
Hesperiæ, tantis quæ tum florebat alumnis.
Tum concordia læta, Jovisq; Dea orta cerebro
Flectebant habiles mundi totius habenas.
Postquam succeßit sceptris Bellona superbis
Nulla mora in pejus ruere & pessum omnia ferri,
Protinus Hunnorum exoritur novus ecce tumultus
Gothorumq; furor. Dij tantam avertite cladem

Si qua

Si qua virûm superest vobis pia cura bonorum.
Romanæ iacet heu facundia pristina linguæ,
Aureus eloquij tenebris obnubtus adultis
Splendor ad Orcini dudum fera regna Tyranni
Abditus, ex toto paulatim evanuit orbe.
Iam probitas, pudor, & qua cuncta metimur honestas
Infami exilio multantur, vi geritur res.
Hinc hinc emersit subitorum Lerna malorum
Quæ tantam exhalat barathro squallente Mephitim
Extent ut justi vestigia nulla, nec æqui:
Ingeniûm seges jsta fuit, seges ampla malorum.
Dij medicas adhibete manus, radicitus omne
Tantorum infandum genus extirpate Cyclopum.
Fallor? an incæpit lucere serenior orbi
Iupiter? & placidus post turbida nubila Phœbus
Evulsum Stygijs caput ostentare tenebris?
Aurea cum redeant specioso secula vultu,
Pristinaq; Ausoniæ reddatur gloria linguæ.
Nam (genus invisum superis tumidumq;) Gigantes
Aggressi invictum deturbare æthere summo
Ausu ingente Iovem, & cæco premere imperio orbem
Phlegræis ictu radijs sua damna fatentur.
Iamq; sui mundum claudit moderamine regni
Iupiter & populis dat pristina jura vocatis.
Quod possint Divi dare tali optatius ævo!
Quo redit ingenijs vigor & correcta voluntas.

Nam quid te memorem illustrissime SCALIGER *&*
LIPSI, *quos cælo demisit Jupiter alto* (*te*
Mercurios pater, ut posthac interprete nullo
Indigeat: Pallas docuit quos maxima, quosq;
Lucem ad Romuleam insignis solertia vexit.
Hos alacri RITTERSHVSIVS *sequitur pede, do-*
Et calcaria ferre bonis & frena malignis. (*ctus*
Olli semper amor veri, & constantia simplex
Cultusq; Aonidum, sic celsus honoribus omnem
Æterni complet famâ jam nominis orbem.
Nullum ultra est virtutis opus, nam si esset, haberet.
Tuq; adeò ISACI *nostris dicendè camœnis*
Acrior justa operi & cæptum ne desere cursum.
Macte istoc animo, Musarum ô gloria, famam
Nominis æternam, properandi calcar, habebis.



AVTORVM



AVTORVM VETERVM

Qui laudati, illustrati vel emendati

CONSPECTVS.

Agellius.
Apulejus.
Aristoteles.
Arnobius.
Augustinus.
Ausonius.
Catonis Origines.
Caper Grammaticus.
Catullus.
Cicero.
Cincius.
Cyprianus.
Diomedes.
Ennius.
Festus.
Florus.
Glossarium.
Hesiodus.
Hippocrates.
Hieronymus.
Horatius.
Interpres Apollonij Tyrij.
Isidorus.
Iustinus.
Iuvenalis.
Livius.
Lucanus.
Lucilius.
Lucretius.
Macrobius.
Manilius.
Martialis.
Cor. Nepos.
Nigidius.
Nonius.
Ovidius.
Panegyrici.
Paulus Apostolus.
Persius.
Philostratus.
Petronius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Priscianus.
Propertius.
Prudentius.
Quinctilianus.
Seneca Philosophus.
Seneca Rhetor.
Seneca Tragicus.
Solinus.
Statius Papinius.
Strabo.
Suetonius.
Tacitus.
Terentius.
Tertullianus.
Tibullus.
Titinnius.
Varro.
Valerius Maximus.
Vellejus.
Virgilius.
Vlpianus.



Recentiorum Et Amicorum.

Adrianus Iunius.
Adrianus Turnebus.
Andreas Alciatus.
M. Antonius Delrius.
M. Antonius Muretus.
Beatus Rhenanus.
Bonaventura Vulcanus.
Desiderius Erasmus.
Dionysius Lambinus.
Dominicus Arumæus.
Eilhardus Lubinus.
Franciscus Iunius.
Ferdinandus Pincianus.
Franciscus Modius.
Franciscus Duarenus.
Gasper Schoppius.
Georgius Buchananus.
Gulielmus Camdenus.
Godofredus Sopingius.
Henricus Stephanus.
Iacobus Cujacius.
Ianus Dousa pater.
Ianus Dousa filius.
Ianus Gruterus.
Ianus Gulielmius.
Ioh. Arcerius.
Ioachimus Camerarius.
Iohannes Sambucus.
Iosephus Scaliger.
Isaacus Casaubonus.
Iulius Cæsar Scaliger.
Iustus Lipsius.
Lambertus Canterus.
Latinus Latinius.
Martinus Lydius.
Petrus Colvius.
Petrus Pythæus.
Petrus Scriverius.
Philippus Beroaldus.
Sixtus Arcerius.
Stephanus Pighius.
Scipio Gentilis.
Theodorus Canterus.
Thomas Herbajus.
Tossanus Burgesius.
Tycho Brahe.
Valentinus Acidalius.
Vertranius.



IOHAN. ISACI PONTANI

ANALECTORVM LIBRI PRIMI.

CAPVT I.

Vellejus Paterculus emaculatus. Plauto jocus redditus.



VT ſapientem niſi ſapiens non capit; ſic hos ingenij gloria æternos animos, ſitu longi ævi ſparſim fædatos, ſerenare & aſſequi, quis ambigat eorum ſimilis eſſe divinæque naturæ? Ego profectò cum id ſummos patrum ætate viros eximiè præſtitiſſe, & hac etiam noſtrâ præclarè præſtare ſummoperè ſemper admirarer, raptus ſum, quaſi ſideris cujuſdam vi, in amorem illorum & imitationem. Cavi, inquam, aſsiduè ut ex antiquorum lectione non ad me ſolùm lectionis manaret fructus, ſed ad eos quoque locorum, ſi fortè laborantium, lux & medicina. Specimen ejuſce rei in Macrobianis nuper caſtigationibus aliquot dedimus, nunc uberius faciemus, & eſto à Vellejo principium.

LIB. II.

Sed Romana virtus militibus plus eo tempore vindicatum gloriæ, quàm ducibus reliquit: qui multùm amore imperatoris ſui crepantes ante in hoſtem inciderunt, quàm per exploratores ubi hoſtis eſſet, cognoſcerent.

Posterius membrum non cepere viri docti, percipient, si voculam (quæ malè coaluerat) divisero leviter & legam:

Qui multùm à more imperatoris sui discrepantes, antè in hostem inciderunt, quàm &c.

Nihil juvenanter hîc jacto, at hæc Paterculi mens & scriptura fuit. Incusare voluit temeritatis & socordiæ duces, abeuntes à consuetudine & more imperatoris sui Tiberij. Tiberij, inquam, cujus propria veluti laus, exploratè omnia & lentè agere, ac per emissarios singula quasi rimari. Notant Suetonius, Tacitus & unicè Vellejus ipse. Adeò ut ego Epicteti disciplinâ eruditum illum censeam, qui docuit, sed in re absimili. ἄνικετος εἶναι δύνασαι ἐὰν μηδένα ἀγῶνα καταβαίνῃς, ὃν οὐκ ἔστιν ἐπὶ σοὶ νικῆσαι. id est, *invictus esse poteris, si in nullum certamen te dimittes, quod in te non est vincere.* Nam hoc à Tiberio sanctissimè servatum. Et quâ re aliâ meruerit *PROVIDENTIÆ ARAM?* Probavimus hunc olim locum amicissimo nobis & sapientiæ supercœlestis professione clarissimo viro Martino Lydio; nec improbabitur etiamnum, spero, ulli probo. Sed ob mendæ similem indolem non abs re fuerit Plauti illa verba huc advocasse, Curculione, Scenâ primâ:

PA. *Quid antepones Veneri à jentaculo.*

Quæ jam olim Had. Turnebo non parum exhibuere negotij. Reponendum enim censuerat condidissimus ille Gallorum; *Quid antepones Venerio jentaculo?* Interpres deinde cum nec id satisfacere rei vidit, similiter pro opinione reformabat, *Veneri pro jentaculo?* Sed istud, animo meo, priore seu vulgato nihilo melius. Ego ex veteri scripto cujus sæpe hîc mentionem faciemus, videor posse germanum canumque verum eruere. Præferebat disertim: *Quid ante pones Veneri jentaculo?* Ex cortina non conjectura rescribo, dispesis itidem vocibus:

Quid? an te pones Veneri jentaculo?

Dixerat ante Phædromus, *Me inferre Veneri Vovi jam jentaculum.*

Palinurus

Palinurus excitatus novitate dicti, Quid, inquit, an temet Veneri dabis in jentaculum? Et applicant joculariter statim:

P H Æ. *Me, te, atq; hosce omnes.* P A. *Tum tu Venerem vomere vis.*

CAPVT II.

Integer locus Milite qua personarum notis noviter ordinatus.

Militem Plauti prima hac acie volens locabo. Bona spe fore, ut salutis ei aliquid, si non plena manu & operâ, saltem ingenio & consilio sparsim proferam. Certè locum illum, Scenâ *inde ignem*, non patiar in hoc exordio, ulterius inversis personis exprimi passim & præteriri, Quod ajo ita vulgatur:

P A. *Sceledre, manibus amisisti prædam.* S C. *tam ea est, quam potis,*
Nostra herilis concubina, vin tu hoc facere strenuè
P A. *Quid faciam?* S C. *affer mihi machæram huc intus.* P A. *Quid*
facies ea?
S C. *Introrumpam recta in ædes, quemq; hic intus videro*
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo
P A. *Visane ea est esse?* S C. *imo edepol plane ea est.* P A. *sed quomodo*
Dissimulabat? S C. *abi machæram huc affer.* P A. *jam saxo*
hic erit.
Neq; eques neq; pedes profectò quisquam tanta audacia.

At non Palestrioni petere domo machæram jubere debuit Sceledrus, sed Sceledro Palestrio. Idq; ut bardus ille concubinam ipsam bene servatam intus & præsentem conspiceret, Hoc ex Plauti mente sit, & mirum non prouisse hactenus in buccam venisse tot censoribus: Et facile tamen potuisset vel ex istâ responsione:

Heus Palestrio, machæra nihil opus.

Itaque totum sic reformamus

P A. *Sceledre manibus amisisti prædam, tam ea est, quam potis*
Nostra herilis concubina; vin tu hoc facere strenuè?

 SC. *Quid*

SC. *Quid faciam?* PA. *affer mihi macharam huc intus.* SC. *quid*
PA. *Introrumpam recta in ædes, quemq; hîc intus vipero (facies eâ?*
Cum Philocomalio osculantem, eum ego obtruncabo extemplò.
SC. *Visane ea est esse?* PA. *imo edepol planè ea est.* SC. *sed quomodo*
Dissimulabat? PA. *macharam huc affer.* SC. *jam faxo hîc erit.*
PA. *Neq; eques neq; pedes.*

Gustum dedi. Nunc ad alia veniamus.

CAPUT III.

Vellejus locis aliquot, si fors, correctus.

Saltuatim in Paterculô progrediar, nec legem aut ordinē ullum severè servabo, quod censeo ex hoc genus scripti lege. Paginâ itaque XXVI. editionis Leidanæ lib. 2. scribitur Perpernam de Aristonico triumphasse, si pura scriptura sit, contra reliquorum autorum mentem; qui antequam de hoc triumphare potuerit, morbo mortuum tradunt. Verba Vellei sunt:

Is victus à M. Perpernâ, ductusq; in triumpho, sed M. Aquillio capite pœnas dedit.

Alij, ut jam dictum, aliter, & Aquillio hunc honorem dant. Disertè Iustinus, *M. Aquillius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpernæ, perinde veluti sui potius triumphi munus esse deberet festinâ velocitate contendit. Sed contentionem consulum mors Perpernæ diremit.* Clarum de morte Perpernæ, triumpho Aquillij licet non meriti. An mendum igitur in Vellejo sit & legendum? *is victus à M Perpernâ, ductusq; in triumpho post à M. Aquillio, capite pœnas dedit.* Mihi videatur, & multum censuræ ei firmandæ fit Aldina editio, quæ refert; *Sed à M. Aquillio.* Deinde πίθανον valdè, duas primores literas voculæ *post* fugisse in similes vicinas dictionis *triumpho.* Hinc ex reliquo st factum *sed.*.

Eodem

Eodem libro, pagina XLV.

Nam consulem, ut prædiximus, exarmatumq; Sartorium, propinquanti mox bello facem, & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes.

Leg. divisione literarum: *Pròh in quanti mox belli facem!* Præivit editio Basiliensis vetus.

Pagina L.

Quantum hujus gloria famaq; accessit! Nunc virtute eminet, Patria latet.

De Calphurnia sermo est, quæ jugulato marito ipsa se magnanimiter transfixit. Sed quod patriam ejus dicat latere, sibi ipse adversus est, dum Bestiæ ait filiam, & Antistij maritam. Itaque cum Romæ natam res & alij clament, cogitabam: *Nunc virtute eminet per patriam latè.* Vel videndum ne acutior occultetur sensus, scriptumque fuerit, *patriam latet.* Calphurnia, quasi dicat, virtute & facto laudabilis & clara est, licet ingratam taliumque incuriosam patriam vulgò prætervolet. Addam de specie Magni Pompei:

Pagina LIII.

Fuit formâ excellens, non eâ quâ flos commendatur ætatis, sed ex dignitate constantiq; in illam conveniens amplitudinem.

Apertam postremò membro labem nemo non vidit. Corrigere idcirco alijs aliter visum, mihi: *Fuit forma excellens, non eâ, quâ flos commendatur ætatis, sed dignitatis constantia, quæ in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoq; ejus ad ultimum vitæ comitata est diem.* Duxerunt me huc vetuste cusi, qui ex illud non agnoscunt. Cetera ingenio sumus usi & conjecturia, quod cum judicio & modestia si fiat, ecquis sugillet?

CAPUT IV.

Bibulæ aures, specus, incluere. aliquammulta ad Apulejum notæ.

VArro Musas Plautino sermone locuturas credidit, si latinè loqui voluissent. Ego unicum Apulei os illuxisse existimo, per quod eum adumbrare quasi studuerint. Quid enim elegantiæ hujus aut prisca ætas habuit aut præsens simile? Quis ex corte Plautina proprietatem dictionum & venustatem expressit laudatius? Ipsi profecto literarum illi dictatores antiqui, si in comparatione locutionis hanc faciem vidissent, tanta venere Romanaque simplicitate & Suadam huic donassent & Musas. Quare non illibenter in ejus Palestra me exerceo; & simul, si quæ opis nostræ, loca detergeo, id est, sordidata quædam leviter & immutata imperitiâ & situ superioris ævi. Graviora majoribus & libris nitentibus fulcris relinquo. Editur initio statim sermonis Milesij:

Et aures tuas benivolas lepido susurro permulceam.

Clarissimus & humanissimus vir Iosephus Scaliger, quo cum annô familiaritas nobis sané perutilis fuit, legendum hic inter alia indicavit mihi, *aures tuas bibulas*. Est apud Persium; *Nequiquam populo bibulas donaveris aures.* Et Propertius, *Suspensis auribus ista bibam.* Deinde est,

Jam hæc quidem ipsa vocis immutatio, desultoriæ scientiæ stilo, quem accessimus, respondet.

Nescio an honestè satis dictum, *stilum accedere.* Vide si fuerit potius, *quem arcessimus.* *Arcessere stilum*, erit, affectare stilum. Statim; *Eiq; causas, & peregrinationis diuturnæ, & domuitionis anxiæ, & spoliationis diurnæ dum miserè refero,*

Non rectè videatur omissum, quod exstat in editione Veneta: *spoliationis diurnæ aperio; & dum miserè refero.*

LIB.

LIB. II.

Nam cum quemquam conspexerit speciosa forma juvenem, venustate ejus sumitur.

Suspectum hoc Criticis. Sed apud Statium invenio: *illum oculis iterumq; iterumq; resumit.* consequenter

Præliare, inquit, & fortiter præliare, nec enim tibi cedam, nec terga vortam; cominus in aspectum, si vir es, dirige, & grassare gnaviter & occide moriturus.

Quicquid censeant alij, scripsit liquidò Apulejus: *in hanc specum, si vir es, dirige.* Vix abit à lectione recepta nostra divinatio; & exprimit omnia plenius, quàm illa excellentissimi viri I. Gruteri: *in hoc pecten*, vel, *in os pilum.* Dixisse autem veteres vulgò *specum* partem illam corporis, per quam sexus fæmineus & sobolem prodere & nomen solet acquirere generi, docet vel unus Arnobius lib. 5. *Quidnam quæso*, inquit, *in specu tali, quid in pudendis fuit verendisq; Baubonis, quod fœminei sexus Deam, & consimili formatam membro, in admirationem converteret & risum?* Respexit quoque Tibullus, & Ausonius, in Nuptiali centone, quos, qui volet, videto. Sub finem,

Et vellem Hercules materiam reperire aliquam, quem Deus tantus affluenter induceret.

Tantum à me impetrare nequij ut purum putum esse Lucij credam; *materiam, quam Deus tantus affluenter induceret.* Omittam jam insuavem vocum illarum collisionem, *aliquam, quam*, quis tamen istum probabit loquendi morem? Fidenter rescribo, *quâ Deus tantus affluenter inclueret. Inclueret* pro inclaresceret, ecquis nescit nisi cui crassior auris? Porrò erroris caussam scire qui aveat, reperiet *cl* solenter degenerasse in *d*. Hoc puto firmum.

LIB. III. sub initium.

Inter tot millia populi circumsedentis, nemo prorsus.

Parum

Parum fortassean videbitur quod dicam, à sedétario tamen &, ut sic loquar, ab equestri ordine ad pedestrem Spectatores hos legabo, faciendo, *circumcedentis*; Nam revera incedisse pedibus eos vult, non sedisse.

CAPVT V.

Ad amußim exigi. Seneca Philosophus variè emendatus.

NON celabo æstum meum. Amo ardenter Annæum Senecam. In verbis quis illo nervosior, tersior? in rebus, DI boni, quàm sapiens quam gravis! Non ille doctiorem modò remittere lectorem natus est, sed meliorem; & docili semper capacique animo acres certasque notas imprimere bonæ mentis. Nusquam ille controversias istas subtilesque cum sectis capatiunculas instituit aut lites, Sed unicum perpetuò certamen noscit & ingerit quod vitia animosè ac acriter proterat atque excitet virtutes. Talem cum auram viva illa & incentiva oratione sæpè & salubriter adspiret mihi, faciam vicissim omnia sedulò, poliamque & edolabo si quid in eo erroris horrorisque subnatum socordia & ruditate longi ævi. Libro de clementia priore, sub init:

Principatus tuus, ad eum gustum, quem dedisti, exigitur,

Non levis hîc Antonij Mureti audacia, si ab eo hæc lectio profecta. Libri veteres & manu exarati: *ad gustum exigitur*, vel, *ad Augustum*. Sed malè. Et vidit clariss. Lipsius non hoc propositum Senecæ ut principatum Neronis cum Augusteo componeret, sed, ut tunc res erant, præponeret potius. Quod, profecto verum sit; Sed an etiam correctio ejus ex vero: *ad anni gustum exigitur?* Ambigere inter alia faciat, quod absque interpretamento sit, parum id clarum. Itaque dum cogitationem acrius intendo, eruisse me reor nō fallaci conjectura veram Philosophi mentem & vocem: *ad amußim exigitur*, Non, inquit, impingit usquam aut delirat tuum regimen; rectè hactenus & ordine decurrit. Facit huc unicè,

quod

quod Epistola XI. *opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.* Hinc Ausonius, *ad perpendiculum seq; suosq; habuit.*

Epistola XVIII.

Nam quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore civitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum, vestem mutamus.

Scripti codices uno ore; *mutavimus*, unde fecero: *vestem mutabimus*? cum interrogandi nota. Lucilium alloquitur Seneca, & exposcit quid tali casu existimet agendum, Docet id planè quod sequitur, *Si benè te novi, arbitri partibus functus, nec per omnia.*

Epistola XXXVI.

Sic ad illum, quemadmodum ad lacum concurritur, quem exhauriunt & turbant,

Membranæ immissa voce: *quem qui exhauriunt.* Fuerit: *quem quiq; exhauriunt.*

Epist. LXIII.

Vt primum stomachum (scis non cum mari nauseam effugere) collegi.

Magna gratia Iano Grutero, qui variantes lectiones ex MSS. quàm plurimis conquisivit studiosè, & evulgavit fideliter. In ijs ergò cum huc ferè omnes inclinent, velintque: *quem scis cum mari nauseam non confligere.* Non dubitavi rescribi debere, *quem scis cum mari nauseantem confligere.* Et id sanè verum est. Petronius: *acclinans lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem.* Et statim, *Non dissimulata nauseantis devotione.*

Epist. XLVII.

Sapè bona materia cessat sine artifice. tenta, & experire.

Latet mens viri, absentia elementi; quod reduco, *& experiere.*

Epist. LXXXVIII.

Mathematica (ut ita dicam) superficiaria est, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficia ad ulteriora perveniat. Si per se iret ad verum, si totius mundi naturam posset comprehendere. dicerem multùm collaturam mentibus nostris, quæ tractatu cælestium crescunt, trahuntq; aliud ex alio.

Labat sub finem oratio, stabit si correxero, *trahuntq; aliquid ex alto.* Et hoc Senecam redoleat magis, qui semper animi humani salutariter studiosus est. Semper retrahere illum à turbida & infera hac fæce nititur & ad supera illa erigere, ubi serenum perpetuò & tranquillum. Nec dissonum huic sententiæ quod in præfat. natural, Quæstion. inter alia magnificè iterum differit, *Cum illa cælestia spatia tetigit animus, alitur, crescit, ac velut vinculis liberatus, in originem redit.* Hæc cum à studijs epistolisque essem Nobiliss. eminentissimoque astronomo, Tychoni Brahe, memini me Vraniburgi subnotasse. Tychoni, inquam, cui viro non ambigo quin providentia eximias adeò & animi & oris opes dederit, ne aut exemplum ævo nostro aut convicium deesset. Sed hæc aliàs. Nunc unicè mihi congratulor conjecturam etiam nostram in mentem venisse sagacissimo Grutero, adeoque consentiri pleros MSS. qui habent, *aliquid ex alio.*

CAPVT VI.

Vellejus sparsim emaculatus.



IN Vellejo (ut institimus & cœpimus, eum obiter percurremus) In Vellejo igitur cum vulgetur:

Pag. LV.

Convertit Cn. Pompei persona totum in se terrarum orbem, & per omnia majore vi habebatur.

Fecerat Rhenanus approbantibus multis, *pæne homine major habebatur.* Aldus, *per omnia major evehebatur.* Ego olim rectus ratus

ratus sum; *per omnia major eo avo hab.* Nunc ferè displicet, & scribere amo, *per omnia major eo viro habebatur.* *Eo viro*, nempè M. Crasso, quem innuit superiori linea *Romani nominis* (ita enim legi ibi malim quam *Romanorum omnium*) *mox futurum principem.*

Pag. LXXI.

Idem intra biennium (nempe Cicero) *sera Cn. Pompei cura, verum & cupito interitu, patriæ restitutus est.*

Depositus alijs locus. Ego clevare tentabam:

Idem intra biennium serâ Cn. Pompei cura, verum ei cupito interim reditu.

Quasi compendio exaratum fuerit: *interim reditu.* Quæ correctio animo meo, audeam dicere, mera veritas. Pompejus enim, etsi seram tamen seriam adhibuit curam restituendi sui Ciceronis, semperque in illa fuit cogitatione, quomodo illi suam aliquando dignitatem redderet & veterem sedem. Sensit ita & scripsit de ipso hæc ipsa Suada ad Quirites. Quæ, qui volet, ibidem videto. Sequitur

Pag. LXXI.

Invictum par Consulum, Cn. Pompejus & M. Crassus alterum iniere consulatum.

Clarissimus Lipsius ineptam hanc scriptionem vidit & delevit. Quis enim invictum Pompejum dicat? Quis Crassum ad Cæsarem? Scripsit idcirco providè, *inclutum par.* Quod tamen ipsum vix autumo germanum. Aliud sub involucris hisce literarum latere suspicor, quod vide ne felicius illo eruero, ita: *invidum par.* Et nisi omnino halucinor, hæc tenebrosæ & turbidæ voculæ una & vera fax sit. Inimicum & inconveniens fuisse hoc par consulum notare voluit Vellejus; qui invidia semper & discordia inter se certarent. Probaverant id priore consulatu, & nunc hoc altero, quasi dicat, confirmant; *Qui* (Vellei verba sunt) *neq; petitus ab his honestè neq;*

 probabiliter

probabiliter gestus est. Hoc itaque liquet puto, & magis, si vox nostra jam curâ rediviva cum vulgata contendatur. Quis enim non advertat literam *d* in dictione *invidum* mutasse in *ct*? *Hinc invictum* istud ortum, & ita pertinaciter occupavit ut vix dimovendo ei fuerit Polydamas ipse aut Hector in hac pa-stra.

Pag. LVII.

Prædonesq́; per multa prælia multis locis victos.

Admonet vir doctus primæ editioni abesse vocem *prælia*, unde emendandum censuit: *prædonesq́; per multos, multis locis victos. Per multos*, nempe legatos & duces Pompei. Ego ambiguitatis vitandæ & rei penitiùs exprimendæ juvem potius immutemque leviter voculam *prælia* (nam in omnibus, quos ego vidi codicibus, reperio) & scribam: *Prædonesq́; per multa præsidia multis cocis victos.* Et hoc est quod veluti explicat Florus, *quadam indagine inclusos oppreßit.* Imo ipse Vellejus super eadem hac re paulo antè: *Descriptoq́; in omnes recessus maris præsidio navium &c.* Ideoque hîc iterat, & quasi dicat, *per multa illa præsidta, multis &c.*

Pag. LXXXI.

Ingenti cum difficultate itinerum locorumq́; inopia.

Quid est, *locorum inopia?* Non absonum fuerit ex elementorum ductu: *lacuumq́; inopia.* Aquarum enim penuriam innuere velle liquet.

CAPUT VII.

Aliquantæ ad Arnobium notæ. ad Plautum una.



D Arnobium quæ obiter notavi, tibi defero Lamberte Cantere; Et defero vel causa tua, qui mihi Romæ olim familiariter amanterque agnitus, Antiquitatis hæc studia impensè æstimare videbaris; vel amplissimi

ſimi viri parentis tui, qui ſcriptorem hunc nobis religioſè dedit cenſum. Nuſquam ille Gelenij liberiores correctiones textui inſertas tegit aut præterit, ſed diligentiſſimè ſeligit & cum Romani Codicis bonitate prudentiſsimè componit, ut ex utriusque comparatione de veritate ſtatuamus. Vtrumq; ego dum Arnobium percurro, ſecutus ſum, & iſta mihi deſubitò nata, quæ hîc habes.

Pag. XII. Lib. I.

Salutaribus ejus pacificisq; decretis aurem vellent commodare pauliſper, & non faſtu & ſupercilio tumidi, ſuis potius ſenſibus, quàm illius commonitionibus crederent.

Cogimur Gelenij lectionem dare, quam ipſe jam diu libris immiſcuit & vetuſtæ Cod. Rom. editioni ſuppoſuit, quæ refert: *non faſtu & ſupercilio luminis, ſuis potius ſenſibus, quam.* Vnde firmiter legimus: *non faſtu & ſupercilio, luminis ſui potius ſenſibus, quàm.* Iterum hoc libro: *Qui arrogantiam conſtrinxit noſtram, & elatas ſupercilio cervices modum fecit ſuæ infirmitatis agnoſcere.*

Eodem libro pag. XVIII.

Puerile, puſillum eſt & exile, vix & illis conveniens, quos jam dudum experientia doctorum dæmonas appellat, & hos non nôſſe cœleſtia & in hac rerum materia craſſiori, conditionis ſuæ forte verſari.

Servat editio Romana, *errores non noſſe cœleſtia.* Vnde probabiliter in caſtigationibus noſtris Macrobianis, diducta compendiali ſcriptura extractaque ex proxima voce litera feceramus, *terreſtres non noſſe cœleſtia.* Inconveniens, inquit, eſſet de dæmonibus (qui vilioris quàm cæleſtes naturæ ſunt, quique Arnobio aerij dij & heroes dicti pag. 124.) credere quod vos de ipſis cœleſtibus numinibus creditis. Quaſi videlicet illa cœleſtis & beatiſsima natura terreſtrium ignoraret conditiónem; eos videlicet in hac craſsiori materia naturæ ſuæ forte verſari. Ideoque, ut proximè dixerat, haud magnum ali-

causa quod ipse correctionem suam audiendam haud valdè velit. Tamen ab interpunctis vide quam facilè expedimus integerrimum alioquin locum; *Qui longævus facere, perpetuitatis posit & spiritum subrogare. Perpetuitatis Spiritum* iterat alibi; *& spiritum perpetuitatis apponere* Sequitur libro sexto, papina 220.

Qnia superis Dijs, inquit, atq; hominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris.

Quid est, *hominum dexteritate pollentibus*? An hominum ope Dis opus? Non ambiges verum esse, *nominum dexteritate pollentibus.* Parile planè apud Plautum in hac voce occupavit erratum, quod hac occasione præterire non debeo, vel quia interpretibus facessere negotium jam dudum comperi, Editur Bacchid: scena, *Hunc homenem,*

——— *Quoniam occasio ad eam rem fuit,*
Mea virtute parta, ut quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?
An nesciebas, quam ejusmodi homini raro tempus se daret?

Verissimè rescribo, *ejusmodi nomini.* Iuvenalis, *Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.* Porrò ad Arnobium pluria etjamnum reliqua nobis, Sed & illa & ista ubi amici nostri Criticum libellum videre aliquando contigerit, aut occupata sperabimus, aut felicius fortean quàm à nobis annotata.

CAPUT VIII.

Sanies item saniare Vellejus, Apulejus & Valerius Maximus ordine emendati.



Habemus apud Vellejum lib. 2. de Cleopatra: *At Cleopatra frustratis custodibus, illata aspide, morsu sane ejus, expers muliebris metus, spiritum reddidit.* Vbi ne offensos quidem Am..archos nostros video. At quomodo tamen hic probum, *morsu sané ejus*? Legito mecum, *morsu savieq; ejus. Sanies* pro

nies pro viru honestè profectò & eleganter. Vox hæc apud Apulejum similiter in morbo. Sed locum dum profero, permittite mihi quæso operire pallio caput, quod in oratione simili, id est, parum pudica Socratem fecisse fama est. Ait itaq; Lucius: *Cum ergo jam vino madens, nec animo tantum verum etiam corpore ipso ad libidinem inquietus alioquin & petulans, etiam saucius paulisper inguinum fine.* Scripta & vetus omnis lectio, *inguinum sanè.* Vides fuisse, *sanie.* Et cœpit quod ille de hortorum Deo nequitiæ magister: *Sed quod sponte sua solet venire, Cum mens est pathica memor puellæ.* Adeundus etiam Glossographus in hac voce. Ego dum hîc sum ab Apulejo non abeo; sed iterum ei hac parte quâ potest, mederi conabor. Locus, quem dicam, faciet quodammodo ad lucem istius de Cleopatrâ Vellejani. Ait lib. 5.

Immanem colubrum, multimodis voluminibus serpentem, veneno noxio colla sanguinantem, hiantem ingluvie profunda.

Caspar Scoppius juvenis antiquæ latinitatis apprime diligens, lectionem veterem, *saginantem*, pro rata retinet. Ego non ambigo quin fuerit, *saniantem*. Valerius quoque Maximus ad partes vocandus. Libro etenim nono capite secundo ubi vulgatur: *Atq; ut diutius pœnæ sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogare: donec intus putrefacti, laniatui sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent.* *Saniati* olim lectum, quomodo & nos in MSS. aliquando invenimus. *Laniatui* itaque cum à Pighiana conjectura sit, fidenter spernimus, & veterem scripturam asserimus unius literalæ adjectione: *Saniatui sint animalibus.* *Saniatui esse*, est sanioso cibatui, quo pasci animalia ejusmodi satis notum est. Porrò vocem ipsam apud Corn. Celsum aliquoties de rebus medicinis, qui quærere curaverit, inveniet.

CAPVT

CAP. IX.

Plauti versus ex libro restitutus. en unquam, primo lucu. multa Cistellaria emendata.

OXonij Anglorum libenter & amenè nuper degimus, & erenim benè libenter degimus. Planè Musis & Gratijs nata ea sedes, & habet nescio quid defæcatum ab altero illius regni licæo. Interim utrobique quieti & studijs opportuna & optata secessio, imò eò illa potior quo à loco quàm mininum ab animo quàm maximè deveneniat. Hac, inquam, meliore nostri parte pacata & tranquilla, etiam medijs in undis ἔστι πάντα καλῶς. Sed Oxonij dum degimus, dum collegia lustramus, commodū in Linconiensi fabulas aliquot Plauti offendim', & offendimus cathenaria servitute solutas. Quod cum me non fugisset, illarum exēplo ad pauculos dies usum experij, & verò quæ hominum illorum humanitas est, impetravi facilè. Locum itaque Cistellariæ prologo, qui apud me jam diu in suspicione curiosè & calidè indagabam:

Augete auxilia vestris justis legibus.

Nam quomodo auxilia legibus augerentur non satis exputabam. Vetus ergò iste; ni fallor, verum reservavit, *vestris junctis legionibus.* Certè id ex ritu militiæ solenne. Vegetius: *legionibus semper auxilia, tanquam levis armatura in acie jungebantur.* Allusit autem Plautus ad auxiliorum etymon. Varro; *Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adjumento essent alienigenæ.* Eodem prologo:

Operam usq; servus dat, si poßict Meretricem illam invenire.

Inseruit ex conjectura Dousa filius, *si poßiet usquiam*, idque caussâ numerorum. Præoptem autoritatem scripturamque libri, *operam usq; aßiduò servus dat, si poßiet,* Quomodo & in Langianis comparet lectionibus. Porrò Scena prima non me tempero, quin vetustum venustumque dicendi genus revocem, eâedm hac fide. Vulgatur passim:

Stultè ecastor fecit: Sed tunc unquam cum quiquam.

At vetus ille disertè, *Sed tu en unquam*, ἀρχαικῶς pro unquamne Glossarium, *enunquam*, ἔιποτε, καὶ ποτὲ. Exempla nimis quam obvia sunt. Sequitur eâdem hac Scena, *Nihil amare injurium est*. Quod repudiavit justè vir eruditus & nobilis, conjecitque *Nihil amore injurius est*, ut fiat, injuriosius seu magis injurium. At nescio an in lib. gnome verior; certè in hac re crebrior tritiorq́;, *Nihil amor injurium est*. Ludus est, inquit, amantibus fallere & inescare. Quod profectò lena dignum effatum sit. Scen. *credo ego: Postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidero*, Audeam id refingere ex Comico Afro, *Postea autem cum primo lucu*. Dixit is Adelphis: *Ceterum rus cras cum filio cum primo lucu*. Et stipes sim nisi Plautini istius loci genium hic persentiscam. Est deinde Scena, *audire vocem:*

P H. *Quid agis hic?* L. *quod gaudeas.* P H. *Quid est.*

Vbi implendæ animandæque ex libro postremæ dictiones, P H. *Quid id est?* Sed leve tamen istud, sicut & illud Scenâ primâ, *At satius fuerat eam dare nuptum potius* videri faciendum *dare nuptum ocyus*. Solet enim illa vox vehementiæ sæpe & festinationis solius ergò orationi adjici, quæ gestu & vultu intelligi evidentius, quàm verbis possit. Asinaria: *Mea quidem hercle opera liber nunquam fies ocyus*. Iuvat denique quod in re nuptiali celeritatem semper aliquam talem signet Plautus. Liquet vel ex illo Mostellariæ, *Dare vult uxorem filio quantum potest*.

CAPVT X.

Secundo Solo. Nigidius explicatus. Cur Australis aura blandior. Macrobij de eadem re sententia posita & expensa.



Μεταβολὴ τῶν παντῶν γλυκὺ ajunt Grai. Bonum itaq; factum si relicta paululum severiori illa & secante ratione, videamus rimemurq́; quid illâ intelliget sententia Nigidius:

Et

Et Austri anniversarij secundo Sole flant.

Et alacrius idem agamus cum præsertim Agellius seriò considerandum admoneat, quid sit *secundo Sole.* Ego, ut sine ambagibus dicam, & ut antiqui loquebantur, signem responsum, ajo, *secundo Sole* facie eâ dixisse philologum, quâ hodieq; secundo flumine, secundo vento ire, proficisci nos dicimus. Nam anniversarij isti ut Austri, ut Etesiæ venti, qui à meridionali tractu, ut maximè spirant, deferuntur ad nos, qui cis Cancrum colimus, cum ipsis Phœbi radijs. Quod quam propriè & presè secundo Sole protulerit Nigidius, auribus certè meis insanùm jucundè percipitur. Et erit hac deinde ratione verum, serenè & liquidò flantibus Austris anni æstate, intendi æstum; hieme verò frigus rigoremque remitti. Flatus enim *ille* qui benignè adeò alumnantibus Solaribus stricturis devehitur calorem simul secum deportat à calido illo & vitali patre. Contra verò Septentriones, quos *adverso Sole* efflare rectè dicemus, his contrarios effectus inducere ob radiorum repercussionem cottidiè experimur. Hæc talia in insulâ Daniæ Venusiâ olim inter alia musinabamur, & verò Tossanus Burgesius homo Gallus non leviter approbabat. Convivebat enim ille tunc ibidem jucundissimè nobis, nec unquam mihi sine laude nominandus, ita virtus ejus, ita mores merentur, ita quoque multiplex illa eruditio, cujus quasi inexhaustus erat thesaurus. Sed addam de re eadem sententiam Macrobij nostri: *Sciendum est*, inquit, *quod ventus qui per hunc ad nos cardinem pervenit, id est Auster, ita in origine sua gelidus est, ut ad nos commendabilis est blando rigore Septentrio; Sed quia per flammam torridæ Zonæ ad nos commeat, admixtus igni calescit; & qui incipit frigidus, calidus pervenit &c. Nec dubium est nostrum quoque Septentrionem ad illos, qui Australi adjacent, propter eandem rationem calidum pervenire.* Nec refello. Obiter tamen hoc dixero, stabiliorem hanc Longævi opinionem fore si uno ductu in singulis cœli sectionibus una & conjunctim spiraret aura. At jam sæpicule circa torridam Zonam Septentriones

flabunt, in nostro verò seu Galliæ aut Germaniæ cœlo Favonius vel Auster. Auster, inquam qui per torridam illam Zonam nec commeavit nec hauserit inde amabilem illum calidumque rigorem. Sed mitto hæc vaga, & redeo in viam.

CAPVT XI.

Stichus Plauti illustrata aliquoties seu correcta.



Plauti locus est Stycho Scenâ, *Ita me Di.*

P A. *Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te anicum esse, Antipho.*

Quem velim nimis ab interpretibus explicatum. At silent illi; non ego, qui legendum eos moneo: *Vades abs te accipiam.* Persâ, S A. *vadatur hic me.* P Æ. *Vtinam vades desint in cercere ut sis.* Sed liquida alias veritas. Nam sequitur: *Nunc quia te amicum mihi experior esse, creditur tibi.* Quomodo hoc criticos jurisconsultos fugerit, miror. Est deinde Scena, *Est ita.*

E P. *Edepol te vocem libenter, si superfiat locus.*

G E. *Quin tu stas, obstrusero aliquid strenuè.*


Laborat hic in eruendo sensu interpres. Et meritò laborat, quia laborat ipse locus. Videor probabiliter refingere: GE. *Quin tu? stans obtrusero aliquid.* Porrò quod legitur Scena, *Agite, ite. Quibus domi divitiæ sunt scaphio & cantharis, batiolis bibunt, nos nostro famulo poterio, Tamen vivimus, nos tamen efficimus pro opibus nostra mœnia.* Claro exemplo fuerit, quàm non corruptio solùm vocum optimis scriptoribus noxæ sit, sed vel erronea leviter vel minus attenta dispunctio. Quid n. hoc venusti, aut quid Plautina scenâ dignum retinet. Distinguendum itaque & Plautinissimus sensus erit: *Tamen vivimus nos, tamen efficimus pro opibus nostra mœnia.* *Batiolis* autem scribere malui, quam cum Turnebo Batiocis. Glossæ, *Batiola.* ποτήριον. Denique eadem Scena ubi editur: *Omnibus modis tentare certum est nostrum hodiè convivium.* Video placuisse viro docto, *temperare certum est.* Mihi convenientius videatur, cum versum illum, qui sequitur, cogito: *Quisquis prætereat, comissatum volo vocari,* videatur, inquam,

enterare

enterare certum est. Glossæ, *interata*, ἐξεντεριοθέντα. Et Plautus ipse Epidico, *exenterare marsupium*; & alibi; *exenterare opes argentarias.* Interim, quod viris doctis videbitur.

CAPVT XII.

In Apulejo proverbialis quasi locutio ostensa. Eidem vox capitium restituta.

Cribit Apulejus Apologia priori:

> *Vtrum ei putas turpe scire ista an nescire? negligere an curare? nosse quanta sit etiam in istis providentiæ ratio, an de Dijs immortalibus matri & patri credere?*

Postremum id proverbiali formâ dictitatum olim, imaginor. Hactenus tamen à nemine quod quidem sciam, edecumatum reperio. Certè illustrissimæ illi humanioris literaturæ & bonæ mentis præviæ faci Desiderio Roterodamo prælapsum videri potest. Interim nihilominus manu asserenda salutaris paræmia, qua docere nos philosophus Afer voluit non ex præscripto semper & aliena veluti mente sapiendum. Quo profectò nescio an quid aptius in pertinaces occupatosque ævi hujus mores conveniat. Sed ego non immisceor; & premere hac talia amo, quam premi. Ex Seneca tamen ista sublegisse haud pigeat. *Turpe est*, inquit, *seni aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit, tu quid? Hoc Cleantes, tu quid? Quousq; sub alio moveris. Et impera & dic aliquid quod memoriæ tradatur. aliquid & de tuo profer. Omnes itaq; istos nunquam autores semper interpretes, sub aliena umbra latentes, nihil puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere quod diu didicerant.* Deinde alibi; *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero, multum magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vendico. Nam illi quoq; non inventa sed quærenda nobis reliquerunt.* Sed ne ventosum hoc caput sit, Hoc agamus. Ait Madaurensis Milesf. libro decimo.

> *Me Phaleris aureis & fucatis ephippijs, & purpureis tapetis & frenis argenteis &c.*

Eruo elegantissimam vocem ex lectione manuscripta, *capitis*. Nam lego literulæ unius adjectione, *capitijs*. Varro, *capitia, quod pectus capiant*. Apulejus itaque quid velit etiam me silente manifestum est. *Capistris* autem, quod in mentem Modio fuisse comperio, displicere debebit vel ob istud, *& frenis argenteis*.

CAPVT XIII.

Plautus versu uno ex libro redonatus: plurima ordine correcta & illustrata Captivis.



Otum in jocis esse Accium, qui ignorant aut negant, eorum ad aures haud cymbalum ille. Superant quidem hodieque id genus non pauca, sed factum inscitia exscriptorum, ut perierint plurima, & minimo minus omnia. Vnum aut alterum reducere posse Captivis videor. nec parcam operæ, in tam Bona causâ. Editur SC. *Quo illum,*

AR. *Quid ais furcifer, tune tu gnatum memoras esse liberum?*
TV. *Non equidem me liberum, sed Philocratem esse ajo.*

Reddetur sentētiæ suus lepos faciendo *Liberum* majuscula litera principe. Ludit occultè in ambiguitate vocabuli, *Liberi*, ut hoc patrem Liberum, illo vulgatam designet notionem. Liquet manifesto ex alterius responsione: *Vt scelestus Hegio, nunc iste ludos hic facit.* Sed ut hoc incuria fortassis obumbratum librariorum, ita alia quædam planè eliminata reperio, eorum, ut puto, religiosa opera, qui ideò tantum in theatrum hoc conveniebant, ut exirent. Tale accidit Sc. *Quanto in pectore,*

HE. *Esurire mihi videre.* ER. *mihi quidem esurio non tibi.*
HE. *Jupiter te dīq; perdant.*

Vehementior ista pro Ergasili verbis imprecatio, suspicionem injecit, aliquid hic desiderati, quod ex libris restituendum; &, ut mea opinio est, vetus ille noster habebat: ER *mihi quidem esurio non tibi.* HE. *tuo arbitratu facilè patior.* ER. *consuetus*

ſuetus puer. HE. *Jupiter te.* ita, inquam, habebat iſte Anglicanus, ſed confuſis perſonarum notis, quas, uti jam poſuimus, ſtatim ordinabimus. Liberior interim jocus eſt, ſed Plautum ſi noſcere non obiter volumus, iſtis quoque ignoſcere debemus. Sc. *Si Di.*

Ne me ſecus honore honeſtes, quam cum ſervibas mihi.

Ad libri exemplum fecero, *quam ego te cum.* Et ſtatim: *Neq; adeo quoi ſuum concredat filium hodiè audacius*, idem, *quoi tuum.* Recta ea lectio, de Hegionis enim filio agebatur, quem redemptum ille ſibi ac reductum iri ſperabat. Scena ſubſequa:

Si ego item memorem quæ med erga multa fecisti benè.

Vetus, *bona.* Veriſsimè. Nec alijs item locis mutatum oportuit contra codicum fidem. Caſina, *Vt mihi bona multa faciam clam meam uxorem.* Et Amphitruone, *Meritoq; vobis bona ſe facere, quæ facit.* Sed eadem Amphitruone quod vulgatur, *ut exprobaret bonis quod faceret boni.* Diſertè etiam in Scripto ad hanc formam fuit: *quæ bonis faceret bona.* Porrò Sc. *Miſer homo.*

Neq; jejunioſorem, neq; magis effertum fame.

Erat in Angicano, *effratum.* ſuſpicior fuiſſe *effractum*, aut quid aliud excogitemus. Sc. deinde, *Quo illum, Quia ſuum ipſe interdum ignorat nomen*, venuſtè ex Scripto reformabitur, *Quid ſuum ipſe.* Et ſtatim: *Iſtinc loquere, ſi quid vis, procul tamen audiam.* Malim, *iſtinc loquere, ſi quid vis, procul, tamen audiam,* Sc. *Iniicite: Tuus ſum, tuas quidem vel præcidi jube.* Liber, *tu has.* Et rectè profectò, nam dixerat Hegio, *Aſtringite iſti ſultis vehementer manus.* Sequitur pòſt:

T Y. *Cur ergò iratus mihi es?*

Iratus licet offenſusque Tyndaro erat Hegio, non tamen ſincera ea ſcriptura. Certiſsimum erit quod Oxonienſis oſtendit: *Cur ergò ingratus mihi es?* Qui permutarunt parum orationis præmiſſæ perpendêre mentem. Etiam quæ ſequuntur Hegionis verba falſum arguunt: *Ergò ab eo petito gratiam iſtam.*

Addam

Addam Coronidis vicem unum duo adhuc Captivis. Exstat scena postrema:

T Y. *Quid gnate mi?*
Atat, scio cur te patrem assimulas esse & me filium,
Quia mihi item ut parentes, lucis das tuendæ copiam.

Video controversum id apud eruditos. Interpres ita inplicatè de eo loquitur, ut aut semet aut omnino sententiam nō intellexerit. Alij εἰρωνικῶς prolatum autumant quod vix potest. Voluit Plautus, Tyndarum, cum de laborioso illo ac tenebroso latomiarum antro protraheretur, ita innuisse Hegionem sibi patrem, se filium, quomodo parientes prodentesque de materno sinu in hanc lucem liberos, parentes dicimus. Vnde etiam parientes hic exaratum non temerè quis existimet. Verum vocem *parentes* veluti *parientes* dici & propriè de genitricibus sumi ex Plauti hoc loco notem. Suetonius quoque de Livia: *Quare non* PARENTEM PATRIÆ, *non ullum insignem honorem recipere publicè passus est.* Denique ut animi mei verum sensum plenè prodam, omnino venustius aptiusq; sermonis totius filo fuerit:

T Y. *Hem quid gnate mi?*
Atat scio cur? te patrem assimilas esse & me filium,
Quia mihi, item ut parentes lucis das tuendæ copiam.

Sed de hoc aliorum esto sententia. Illud Sc. *Adverte animum,* HEG. *terrestris cæna est.* PAR. *Sus terrestris bestia est.* HEG. *multis oleribus.* PAR. *Curato ægrotos domi*, non controversum quidem, at facetum est. & olera ridiculè capit Parasitus omne genus herbarum, quibus medemur. Apostoli locus non absimilis sit, quem animi gratia adducam. Ait cap XIV. ad Romanos, ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. Eâdem planè figurâ allusit.

CAPVT

CAP. XIV.

Seneca locis aliquot tentatus. Vox privus reposita, & Valerio Maximo bis eadem reddita.

SEneca Philosophus sæpe mihi in manu & animo est, nec facilè scriptorem scio, cui melius velim factum. Vtinam desiderio respondeat eventus & stigmata aliquot illius expungere liceat felici stilo. Tentabam libris de Benef. ista. Lib. 2. cap. 5.

Malo mihi jam neges, ubi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum expectat. Potest ob id ingratus esse?

Absque lectionis discordia fuisset, tamen ultimum membrum suspectum sit. Qui enim id præcedenti sententiæ apponas? Scriptura refert, *Potest ei ob id jam gratus esse.* Vel, *Potest ob id gratus esse.* Quædam etiam vulgatum. Vnde divino: *potest ob id nec gratus esse.* Mens certè hoc pacto perspicua sit, nec abludit quod sequitur capite decimo, *Si gratos vis habere, quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed & ames.* Libro tertio, capite primo:

Vitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant, cæci qui non vident.

Vidit Muretus ineptias scriptionis. Nec ego lectitatum cuiquam reor, *cæcos oculos.* Itaq; ipse ex veteri libro qui tantum retinuit, *vitiosi sunt qui lucem*; fecerat *Luscitiosi sunt.* Ego aliâ magis viâ; id est mutatione leviori expediebã, *vitiocli sunt qui lucẽ reformidant. Vitioculi* erunt quibus vitiati oculi, ut *desioculus* & talia. Bardi tamen exscriptores sive imperitia sive insolentia vocis verterunt in *vitiosi oculi.* Nos revocemus. Libro deinde sexto capite 36.

Quemadmodum illi servaverunt bonorum civium officium, qui reddi sibi pènates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos unico malo affici, quam omnes publico.

Ex conjectura Pinciani ita repositum, cum membranæ ejus præferrent partim, *iniquo*, partim, *uno*. Illud etjam invenisse se refert in Pal. secundo & tertio vir eruditissimus Ianus Gruterus, æstimatq; veterem aliquam excidisse hîc vocem scriptumq;, *duos sontico malo*. Non adversabor elegantissimo homini, verius tamen putem; *duos privo malo*. Nam sequitur, *quàm omnes publico*. Vox hæc quia sic satis hodie innotuit & autoribus varijs variè redonata, Valerio adhuc lucem faciet, loco qui jam plurimos torsit. Ait libro quarto capite primo.

C. Memmius L. Octavium similiter deprehensum nervis contudit.

Vbi mirè evariant manu exarati codices, Ioh. Sambuci referebat: *pernix contudit*. Lipsij: *protinus*. Alij: *pugnis*, quomodo & alter MS. noster Anglicanus. Alter, quod proximè verum reor, *prius* habebat, paululâ enim mutatione similiter reformem: *privus contudit*. Quod qui initium paragraphi notaverit, rectum fatebitur. Eos enim hîc recenset Valerius qui in vindicanda pudicitia, suo dolore pro publica lege usi sunt. Allusit eleganter & aptè Iuvenalis: *Exigit autem Interdum ille dolor plus quam lex ulla dolori Concessit; necat hic ferro, secat ille cruentis Verberibus*. Et iterum capite tertio Valerius: *Horatius unus prælio triumCuriatiorum, conditione pugnæ, omnium Albanorum victor*. Pighius hanc lectionem in contextum retulit, nam olim excusi, *Horatius post prelium*. *Vnus* istud indubiè formatum ex vetustissimâ lectione: *Horatius prius prælio*: quomodo in utroq; Cantabrigiensi Ms liquidò comparet. Itaque vix ambigimus quin & hîc fuerit, *Horatius privus, prælio trium Curiatiorum*. vel *privo prælio*.

CAP. XV.

Plauti Curculio pluscu.is locis restituta de Scripto.



AD Plautum porrò Curculione quæ ex libro subnotabam ista sunt. Scena prima, *Ostium oculissimum salve, valui-*

valuiſtin' oſtium oculiſſimum, Videbatur referre ſcriptura loco priore, *occluſiſſimum* Apud Arbitrum invenies, *excluſiſſimi ſumus.* Interim nihil hîc præſto. Deinde eſt, *Hoc vide ut dormiunt peſſumi*, Ibidem erat, *peſſuli peſſumi.* Scena, *Placidè egredere*, PH. *dormio, ne occlamites*, PA. *Tu quidem vigilas.* PH. *at meo more dormio* Vide ſi lepidiori ſenſu fuerit, *Tum quidem vigilans.* Me mini ſimiliter ludere D. Hieronumum Libro adverſus Vigilantium. Sed non eſt ad manum bibliotheca. Sequitur ſtatim,

Quem quidem mihi polluctus virgis ſervus ſermonem ſerat.

Hæſit in veteri vetus dicendi ratio; *Quod quidem mihi. Quod quidem*, eſt, quoad quidem. Agellius, *hominem poſtea, quod capillus adoleſceret, domo continuit*, quomodo in Gyphaniano M exſtare annotat ſtudioſè Scoppius. Item Apuleius, *Quod me ad iſtam faciem bona vxor & mala fortuna perduxit.* Sc. deinde, *I tu præ*,

Ly. Tacuiſſe mavelim. LE. hau male meditate male dicax es.

Et libro & ſenſu poſcente faciendum: *Heu in male meditantem male dicax es.* Et viderat hanc olim mentem, credo, ex ingenio Nobiliſsimus Douſa, cujus conjectura non minus notabilis eſt, *Hau malè meditato malè dicax es.* Deniq; Sc, *Date viam. Ita res ſubita, celeriter mihi hoc homine convento eſt opus.* in eodem concipiebatur: *Ita res ſubita eſt, oculiter mihi.* Vbi videndum an *ocyliter* dictum voluerit, aut voce Apuleianâ, *ocyter.* Ibidem ſtatim:

Poſtquam hoc mihi narravit; abeo ab illo revocat me illico:
Vocat ad cœnam: religio fuit, denegare nolui.

Ianus Gulielmius interpunctione rem factam cenſuit: *Religio fuit denegare, nolui.* Hac mente; Non auſus fui negare venturum me, ideo negare nolui. At adſit ita neſcio quod acuminis & ſententiæ frigus. Faciebam ego: *Vocat ad cœnam, religio fuit denegare; volui.* In religionem ſuam ac conſcientiam peccaturum ſe credidit paraſitus, ſi quod unicè exoptabat

excusasset. Erat enim cæna huic generi res sacra; & cui officium denegare nefarium ac illicitum existimabant. Comicus Afer locutionis formam retinuit, *Nam nihil esse mihi, religio est dicere.*

CAP. XVI.

Agellij vetus scriptura reservata, albi emendata. Suspicio super loco Tertulliani.

AD Agellium reficiendi mei libenter & crebrò reviso, tenetq; prorsus animum meum homo ille purissimi dulcissimiq; oris, ac sermonibus usq; adeò amænissimis demulcet, ut ijs quandoq; puriter quasi liquescam. Rectè itaque facere me judico, cnm illi vicissim juvando sedulam operam navo. Ait capit. 14. libro quinto:

Tum Sole, inquit, medio rapido & flagranti specum quandam nactus.

Laudabilis utrumque & correctione juvisse lectiones laborantes, & obscuriores dubiasque aut illustrasse, aut firmasse. Posterius hoc huic loco faciendum, cui validum jam diu intenditur telum. Priscianus hæc laudat, sed in eo scriptum, *arido.* Visum itaq; viro docto, *ardido* facere. Ego usitatam lectionem firmaverim hic ipsis Agellij verbis libro vicesimo sub initium: *An tu forte morbum appellare hic putas, ægrotationem gravem cum febri rapida & querquera.* Rapidâ ardida hic intelligo & flagranti. Est deinde libro nono capite secundo:

Sed hoc potius, inquit, dolori mihi & ægritudini est, quod hujusmodi animalia spurca atq; probrosa, nomen usurpent sanctissimum & philosophi appellentur.

Sermonis hujus occasio palliatus quidam fuit ac crinitus, qui Philosophum se jactaret, consularemq; virum Herodem Atticum accedens pertinaciter peteret æs sibi dari (ut loquitur Agellius) εἰς ἄρτους. Sed dum singula penitius examino vox

probrosa

probrosa illo mihi loco vileſcit. Et ecce hæc meditanti commodum obtulit facem cl. Lipſius, qui Epiſtolicarum Quæſtionum libro tertio narrat haberi in Scripto: *atq; probra.* Quod ego pro *probroſis* ut *ſcelus* pro *ſceleſto*, dictum acciperem, niſi epithetum poſcere videatur vox *animalia.* Itaq; videndum ſi fuerit, *hujuſmodi animalia ſpurca atq; proca.* Id certè hominis iſtius impudétem petendi libidinem eximiè depromat. Feſtus; *procari, poſcere eſt. Vnde & proci, & meretrices procaces.* Plautus item Perſa:

Pecuniæ accipiter, avide atq; invide, procax rapax, trahax.

Hoc vulgo haud ſatis intellectum implicuiſſe videtur Tertulliani etjam inſignem locum lib. de Pallio. Ait magnus ille doctor: *Sic & mari fides infamis, dum & flabris æquo mutantibus de tranquillo probum, de fluſtris temperatum, & extemplo de decumanis inquietat.* Reſcribendum cenſuerat Latinus: *de tranquillo pronum.* Quod peritiſsimo Iunio jure diſpliciet qui vulgato aſtipulatur, aitq; dici *probum* velut *prohibum.* Ego ei & calculum meum appono, ſed & una admoneo, diſpiciendum num habere hîc locum etjam poſsit, *de tranquillo procum.* Lucretius, *Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.* Maro majorem expreſsit violentiam, ubi ait, *penitusq; procacibus auſtris.* Maris autem ejuſmodi procaciam conſpicimus manifeſtò cum in ſeſe ponente paulatim tempeſtate, collidit colluditq; laſcivia veluti undarum. Libro quarto capite nono:

Religioſi dies dicuntur triſti omine infames impeditiq;.

Impedire, ſordidare atq; ad probrum ducere rectè explicuit Nonius. Plautus: *Qui domi uxorem meam impudicia impedivit.* Verum & Noniano & Plautino loco inſiticia diphthongo *impædivit*, ſcribendum aſſentior clariſs. Douzæ. Atq; adeo hoc Agelliano flagitem. Verba deinde M. Catonis ſunt lib. 15. cap. 9. *Poſtridie ſignis collatis, æquo fronte, peditatu, equitibus atq; alijs cum hoſtium legionibus pugnavit.* Leviculum mendum eſt;

tamen quia in omnibus, quos vidi, libris inolevit, faciendum moneo. *equitibus atq; alis.* Cincius, *Alæ dictæ exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra sinistraq;, tanquam alæ in avium corporibus locabantur.* Bene itaq, *alis*: Nam cum legionibus depugnatum indicat Cato.

CAP. XVII.

In Velleio adhuc unum duo indicata seu correcta.



Pud Paterculum denique, vbi super clade Variana narrationis id veluti exordium est: *Nunc summa deflenda est,* variè excercitum hoc habuit Valentinum, mutato cognomine, Acidalium. Tres enim ordine conjecturas adfert: *deicenda, sequenda, deplenda,* quarum ultima illi, ut ajt, blanditur maximè. Mihi vix ulla satisfaciat. Alijs ex comparatione arbitrari fas erit. Scribo itaque vix litera mutante: *Nunc summa deferenda est.* Nam id verbi capi sæpè pro, rem quampiam ordine & quasi apud patronum exponere, quis non novit? Hic autem tale quid requiri docent statim vel exodij loco ista: *His auditis revolat ad patrem Cæsar perpetuus patronus Romani imperij, assuétam sibi causam suscipit.* Sed ut manum tandem, quod dicitur, à tabula. Apud Velleium itaque quod facie hac sæpiculè occurrit, *Discrimine vestro me subtrahabam etc.* *Quam professione ejus, quâ semper usus erat, congruebat,* denique, *Horum virorum mentione si quis quæsiße me dicat, locum,* pro, *discimine, professioni, mentioni,* non temere sed consultò prolatnm & antiquè. Propertius, *illa meo caros donasset funere crines Molliter.* Et iterum, *si placet insultet, Lygdame, morte meæ* item Lucilius, *Esuriente leoni ex ore exsulpere prædam.* Imo & ipse Latiæ linguæ lex & lima Varro: *Facile enim*, inquit, *et quàm minore natu sunt dicto audientes.* Quæ tamen haud ego monuissem, nisi ab alijs jamdiu sollicitata compeiissem ac doluissem. Hæc fere ad Vellejum. quæ in memoriam me reducunt vestri, Godofride & Arceri, reliquorumque amico-

amicorum jucundissimi in Frisijs olim convictus. Enarrebamus nos successivis temporibus Vellejanam historiam, & verò, ut ferebat tunc ætas, non pauca, nec infeliciter etjam calculo vestro, illustrabamus, Vos vicissim Græcanicum aliquid aut simile emblema reponebatis, quod & animum sæpe & mentem detinuit musæa profectò & amæna Sirene. Inerrat adhuc auribus meis ille vester ab Helicone sonus: Tua, Godofride, strenalis avena etiamnum recens est, & digna quæ publicê hic personet amoris & memoriæ liquidissimns testis.

GODEFRIDVS SOPINGIVS, JOHAN. ISACIO PONTANO.

Moribus antiquis nova jam mortalia sæcla
Vtuntur. captus Romuleâ urbe manet
Mos nova mittendi speciosæ numera strenæ:
Quæ mare, vel tellus sufficere alma homini,
Dædala vel possit quæq; ars intexere telæ,
Vel Parijs quæq; incidere marmoribus,
Vel pandas lances, quas aurea labra coronant,
Seu carchesia, seu pocula Bacche tua,
Vel scabra, vel rudia, aut signata numismata, magni
Vivida quæ impressi Principis ora ferant;
Donabant olim hæc ultro citroq; Quirites.
Sed te concivem quamlibet Ausonidis
Romanæ adscribat tua docta peritia linguæ
Jane, tamen non do hæc grata futura tibi:
Ast mage grata, scio, Musarum munera pono,
Nobis communis quas fovet almus Amor.
Pro cunctis illis felicis & auspicia anni
Deprecor, ac vitæ gaudia læta tuæ.

CA-

CAP. XVIII.

Epidicus Plauti sparsim emendata.

Fastigium primori huic libello imponat Epidicus. Editur Sc. *Malè morigerus.* . Ep. *Non me novisti?* Vt *quod quidem nunc veniat in mentem mihi* Ep. *Lunelam atq; anellum aureolum in digitum VI. memini mi homo.* EP. *Non meministi me inaurem ad te afferre natâli die?* VI. *Tune is es.* Suboderati primum ex libro fumus loci mendum. Et potuissemus tamen, etjam absque illo fuisset, ad id & verum pervenisse attentâ collatione. At jam autoritate ejus & suffragio indubia erit emendatio:

EP. *Non me novisti ?* VI. *quod quidem nunc veniat in mentem mihi.*
EP. *Non meministi me inaurem ad te afferre natali die ?*
VI. *memini mi homo.*
EP. *Lunelam atq; anellum in digitum :*
VI. *Tune is es.*

Sc. *Quid est, Non patrem ego nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?* venustè inferetur ex eodem, *patrem te ego.* Et langueat absque relatione tali sententia: Sc. deinde *cave præterbitas,*

FI. *Postquam libera est, ubi*
Habitet dum, incertò scio. P E. *ebo, quis eam liberaverit,*
Volo scire, si scis.


Vetustus idem codex: PE, *ebo, an quis eam liberaverit?* Quod præeat fortean ad veram & veterem lectionem. Nam facere amem, PE.*ebò,ain? Quis eam liberaverit Volo scire, si scis.* Et statim ubi legitur, *Me impune irrisui habitum,de peculatum eis*, legerim ego, *depeculatum meis*, extractâ ex proxima voce literâ. *Meis*, intelligit seruum suum Epidicum & Stratippoclem filium. Sc. autem, *Fecisti jam officium*, habebat Anglicanus,*nihil moror vetula & vulgata verba*,ubi vulgò,*vetera & vulgata.* Iuvenal.*Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.* Et Catul. *vetulo falerno.* Sc.deindè, *Nō oris causâ modò homines æquum fuit sibi habere speculum,ubi os contēplarent suum,*addebat

idem

idem vetus, *suum sibi.* Sub finem verò fabulæ, ubi edunt, *lumbos porgite, atq; extollite*, erat in eodem, *surgite*, quod est, *surrigite.* Porrò Sc. *St. tacete*, editur vulgò, *Cumatile atq; plumatile, cerimum aut melinum, gerra maxima*, At scriptus servabat, *aut gerinum.* Quod an *berinum* fuerit etjam atq; etjam cogitemus. *Berus* certè burrus color est; &, ipse quantum censeo, verissima sit amici nostri has literas eruditissimi P. Scriverij conjectura; legendum videlicet apud Martialem: *Beros sardonychas* pro quod vulgò, *Veros.* Scriveri inquam, *cujus amor tantum mihi crescit in horas, Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.*

FINIS LIBRI PRIMI.





IOHAN. ISACI PONTANI ANALECTORVM LIBRI SECVNDI

CAPVT I.

Senecæ Oedipus variè emendata vetuſti codicis fide.

DEbet plurimum Seneca Tragicus noſtræ tempeſtatis cenſoribus. Fidem facias vel tu, Lipſi, ſolus, qui ſagacis ingenij indagine & manu exarati libri ope, talia innumeris ejus locis applicuiſti fomenta, ut ijs non color ſolum calorq; Senecioni huic reparatus videretur, ſed juvenantior illa vis & vita. Fuere nihilominus qui hujuſmodi deinde induſtria excitati ſubvaleſcentem jam ſcriptorem ſimili medicina fortiter & porrò roborarunt. Ego verò ut oportunè poſt multorum has operas ita redivum Senecam cum Veteri quodam ſcripto diligentius contendo, video hîc quoque verum eſſe neminem tam validè ex gravi revalere malo, quin medicatiunculas ſubinde quaſdam repoſcat; Quas ſi cum judicio & loco ſubminiſtraverim, tu, Lipſi clariſsime, judicabis. Eſto exordium ab Oedipo, verſu 207.

Vtrumne clarus ignis& nitidus ſtetit,
Rectusq; purum verticem cælo tulit.

Eximius ſuper flammæſpicio locus. At quanto Angelicanus eundem elegantius?

Vtrum-

Vtrumne elatus ignis & nitidus fletit,
Recensq; purum vertex em cælo tulit?

Non ille verba verbis inanites iterat, sed voces singulæ singulos servant sensus. Tria cum curâ hîc notat, num scilicet elatum, num nitidum, num recens seu hilarum effulserit lumen. versu 372. *Scrutemur unde tantus hic extis rigor,* Ex vero & scripto legendum, *livor.* Lividus, inquam, ille & Saturnius color etjam extispicibus in faustus & funestus. observavit Cordubensis,

Viscera tincta notis gelidoq; infecta cruore,
Plurimus asperso variabat sanguine livor.

Versu 494. *Garruli gramen secuere rivi.* Erat in Anglicano, *locuere rivi.* Suspicetur quis, *coluere rivi.* Versu 546.

Tristis sub illa, lucis & Phœbi inscius
Restagnat humor, frigore æterno rigens.

Refert idem ille Vetus, *Tristis sub illâ lucus, & Phœbi inscius Hinc stagnat humor,* & rectè sanè; nam Poeta postquam totius nemoris circumstantiam habitumque depinxisset, & ipsa veluti loci secretiora adumbrasset, addit digito quasi intento; Sub illâ umbrâ tristis & feralis hîc lucus. Itaque quod pæne prætervolasset, versu superiori, scribendum *umbrâ* non *unâ*, quod negligi ferè video cum tamen non noster solum, sed omnes penè meliores MSS. sic custodiant. Versu deindè: 575. *Duxere rimas robora*, E variabat in eodem Cantabrigiensi codice lectio: *vivere ruinas.* Vnde conjecturam quis faciat, fuisse, *nivere rimis*, id esset *connivere.* Plautus, *Viden coagmenta in foribus? video. Specta quam arcte dormiunt: dormiunt? illud quidem ut connivent volui dicere.* Nihil interim, nisi fide plurium, promptum sit. Versu 580.

Sive ipsa tellus, ut daret functis viam, Compage rupta sonuit.

Tetigit aures & oculos meos scriptura libri: *compage rupta secuit. Secuit pro secta est* proba & prisca dictio. Versu 645.

Incestam domum

Vertam, & penates impio Marte obteram,

Duplex hic nodus; alterum enodat ſcriptus, in quo rectè, *incretam domum*, & addo hîc aptè, ubi ex matris & filij impiâ mixtione horribilis iſta proſapia denotatur. Vnde & Feſtus; *increta*, indiviſa. Alterum nodum liber præterit; Ego ſeco & facio: *penates impios Marte obteram.* Non enim impio Marte everſionem ejuſmodi inſtitui rebitur, at pio potius & licito. *Penates* itaque *impij*, quos cupit everſos.

CAP. II.

Futare. Parius lapis. Durus poeta. ad Propertium meliores aliquot notæ.

SEd pauſo pauliſper à Tragico hoc opere, & Propertium amatorem vatem interſero; ſed vatem, ita Muſæ me ament, doctum, diſertum magnificum. Vetuſtas verò in illo talis, ut eruditorum conſenſu non modò principem ſemper laudem meruerit, ſed ob profundum quoque literaturæ perpetuam admirationem. Eiproparte emaculando caput hoc dicatum ſit. Legimus lib. 1. Eleg. 18.

Ah quoties teneras reſonant mea verba ſub umbras,
Scribitur & veſtris Cynthia corticibus:
An tua quod peperit nobis injuria curas
Quæ ſolum tacitis cognita ſunt foribus?

Poſterior verſus liquidò labem ſuam præfert, & Iovem lapidem jurare paratus ſum pictum primitus:

Ah tua quot peperit nobis injuria dura!
Quæ ſolum tacitis cognita ſunt foribus?

Quod dura, ut ſuprà: *Sæpè ego multa tuæ levitatis dura timebam.* Lib. 2. Eleg. 13.

Quod quamvis ita ſit, dominam mutare cavebo,
Tum flebit, cum in me ſenſerit eſſe fidem.

Omnium

Omninm doctrinarum laude princeps Iosephus Scaliger vidit ineptum hoc loco vocabulum, *mutare*. Rejecit idcirco, & scribi maluit? *Dominas mutire cavebo*, quod quidem propius verum sit; sed, si quid video, tetigi poetæ genuinam germanam vocem: Lego vix literâ immutante. *Dominam futare cavebo*. *Futare*, proprium omnino hic verbum. Isidorus, *Futare*, ἐλεγχεῖν. Compositum extulit eadem fere mente Titinnius, *Cocus magnum abenum, quando fervet, paulâ confutat trua*. Sed Propertium simplicia præ compositis uti alijs jam doctum. Correctores verò offendit insolentior vox, nec *fidem* hic ceperunt pro taciturnitate, quod debebant, supra: *Non solum vestros didici reticere dolores, Est quiddam in nobis majus, Amice, fide*. Hæc profectò mendi indoles, hæc medicina. Nec est quod censeat quispiam esse volupe nobis, quod istis criticis solet, si quid raræ dictionis, ubivis ingerere. Rem ipsam putate. Eleg. 17.

Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco? Ducit uterq; color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras? utraq; forma rapit.

Adscripsi plusculos versus, ut conjecturæ nostræ vis eluceret. Suspicor enim lineâ postremâ literam fugisse reprehendendam ita,

Vidistis nostrati? utraq; forma rapit.

Nec spernit hæc hypermetra Propertius, licet parcior hac parte. infra, *Herculis Anteiq; Hesperidumq; choros*. Lib. 3. cap.4.

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
Parrhasjus parva vindicat arte locum.

Et statim.

Phidiacus signo se Iupiter ornat eburno,
Praxitelem proprius vindicat arte lapis.

Omnino postremo versu malim, *Praxitelem Parius vindicat arte lapis.* Nam qui laudasset ebur in quo excelluit Phidias & Praxitelem qui Parij marmoris sculptura eminuit, minus eleganter *proprij lapidis arte* viguisse dixisset, cum etjam carminis canon tam commodè admittat *Parius*. Omnino verũ erit, quod imbibi dudum, inversas scilicet & perturbatas esse utriusq; versiculi binas has voces *proprius* & *Parius*, ut hæc ad posteriorem, illa ad priorem referatur. Iam facilis restitutio ex *parva Parius* ex *proprius* verò *propria*, quod tamen in vetustoribus libris etjamnum restat. Nam edunt: *Praxitelem propria vindicat arte lapis.* Itaq; utrumq; sic formo:

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
Parrhasius propria vindicat arte locum.

Deinde.

Phidiacus signo se Iupiter ornat eburno,
Praxitelem Parius vindicat arte lapis.

Propria arte est, ἰδιαζόυσῃ. Quâ mente quoq; Ios. Scaliger ex transposito (ut ego censeo) *parva* divinat *priva*, & explicat ex historia artificis eruditè. Quocirca conjecturæ meæ nondum penitere me debet. Eâdem elegiâ.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coe poeta, tuis.

Coe poeta Beroaldi castigatio est. Vetusti & scripti libri, *dure poeta.* Hinc faciebat magnus censor, *pure*. Sed verum reor illud ipsum, *dure*. *Duruum poetam* videtur dicere amatorem seu Amorum ἀοιδὸν qualem fuisse Philetam scimus. Ovidus, *Nec tantum Coo Battis amata suo* Et Propertius Amoris dulcem amaritiem probè expertus ita eroticum vatem ex re ipsâ, non temere appellasse censendus. Scripsit ipse de se, supra lib. 2.

Desine Achillæo componere verba Cothurno,
Desine, & ad molles membra resolve choros.

Incipe jam angusto versus componere torno,
Inq; tuos ignes, dure poeta, veni.

Liquido se *durum* vocat *poetam.* Et certè si scriptionis seges Amor, res aspera & dura, quid ni & Scriptorem quoq; ipsum rectè durum dixerit? Docet lib. 2.

Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec, modò si sapias, quod minus esse velis.

Quare Philetas & Propertius ob duros suos amores duri poetæ. Nec absimile admodum, quod Comicos, Tragicos capimus ab argumento.

CAP. III.

Emaculata aliquoties Senecæ Hippolytus.

Revertor ad Senecam, & ex vetusti codicis horto quos excerpsi porrò salubriores flores, libens Hippolyto ejus in medicinam profero & usum. Versu 13.

Vbi per glacies lenis Ilissus, Vbi Meander super æquales
Labitur agros piger

Negotium jam diu censoribus facessit hic locus. Quid est enim, *per glacies lenis Ilissus?* Sed bene sit illis libris qui versum primum licet leviter saucium posteris reservarint. Noster quidem, quem semper laudamus, illo deficit. Interim tamen non fraudandus sua laude cum proximum verâ suâ veste & mente præsentet: *Vbi Meander super inæquales.* Vult enim Meandrum per scrupos & saxa labi. Et poscit historia etjam sententia sequens: *Et steriles Amne maligno radit arenas.* Hoc cum ita sit, præitur mihi egregiè ad versus prioris correctionem. Nam lego:

Vbi per graciles lenis Ilissus.

Nec

Nec est dissimile quod de Acheloo ait in Oeteo, *gracilisq; vado serperet aquo.* Et de Petauro Martialis:

> *Quid si per graciles vias Petauri*
> *Invitum jubeas subire Ladam?*

Versu 212. *Mediumq; sanos vulgus affectus tenet, Et se coercet modice:* Beneretus, *Quod se coercet modico.* Iuvenalis:

> *Præstabat castas humilis fortuna Latinas*
> *Quondam, nec vitijs contingi parva sinebat Tecta labor.*

Versu 437.

> *Quid te ipse pœnis gravibus infestus gravas,*
> *Quem fata cogunt; hic quidam vivat miser.*

Animat priorem versum Cantabrigiensis: *Quid te ipse pœnis gravibus infestus gravas?* Et statim scribit: *hic quoq; vivat miser.* Fecero, quaq; quod valeat, *ubicunq;*. Vers. 493.

> *Nec scelera populos inter atq; urbes sita Novit.*

Valde probem quod exstat in eodem: *atq; urbes scita.* Arnobius: *Ipsum adversum se Jovem remedia scisse.* Quomodo & legi apud eundem Gentium antagonistam optem lib. 5. pag. 155. ubi editum, *superq; sacris ejus origo hæc sita est.* At, *scita est* rectum sit. Vers. 701.

> *Procul impudicos corpore à casto amove Tactus.*

Cantabrigiensis, *Prô impudicos.*

CAPVT IV.

Valerius Max. mendis aliquod & glossematibus libri ope purgatus.


Alerium Maximum Postremò & probè censum eum Cantabrigiensi quodo Veteri diligentius in Anglia contuli; & quæ superare videbantur invisa severis illis

illis & accuratis Aristarchis libens hic in rem & usum literarum collegi.

Prologo :

Aut quis compos mentis, domestica peregrinaq; historia
seriem, felici superiorum stilo conditam.

Cantabrigiensis Lycæi MSS. inspexi bina: Alteri præfatio hæc deerat. In altero liquidò legebatur : *felicis seculi stilo cenditam.* quod præoptem. Cap. 17. libro primo : *Non procul à Vessuvij montis radicibus positis castris.* Idem Vetus, *Prope ab Vesuvij.* Id revocemus. Statim, *sciscitatusq; est siquidem talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidis.* Germanum erat in utroque prisco: *si quem.* Ibidem: *Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paululum admodum tempus intercessit.* Ita quidem ex libris quibusdam Pighius. Constanter tamen alter noster custodiebat, *Pravulum admodum tempus accessit,* ut ambigere vix liceat quin scripserit Valerius, *parvulum admodum tempus abcessit.* Deinde: *Himeraorum mænia inter offusam ad officium & spectaculum ejus turbam, ut aspexit, hunc esse.* Vetus, *Himera eum in curiam inter,* quasi non oppidi sed fœminæ ipsius nomen sit. Cogitemus. Cap. 8.

Sed ipsam cælo junonem petitam
portare se credentes.

Idem non malè, *Junonem præstitam.* Et statim *Hoc modo Fortuna saviens, huic vocem, ijs vitam ademit, illi propria donat.* Vbi posteriores voces, *illi prop.* hic ineptas censeo & nullæ rei. Delendæ itaq; vel fide libri. Deinde cap. 4. lib. 2.

Ea res avertit vulgi animum, & famam Scipionis magnopere quassavit.

Scriptum prævaleat, *vertit vulgi animum.* Consequenter : *Ludos & lectisternia, continuis tribus noctibus; quia totidem filij periculo liberati erant, fecit.* Vbinam, obsecro, in tota hac narratione trium meminit Valesij filiorum Valerius? Docuit in exordio duos ei filios fuisse & filiam unam. Quo quid adversus expressam

ſcripturam clarius? Itaq; ex Veteri veritas reducenda: *totidem liberi.* Cap. 3. *Ideoq; autori ejus Nævio adhuc honor eſt habitus.* Ergone Valerij adhuc evo Nævius ob iſtud inſtitutum honoratus? Futarunt id clarè alij, & juvat eos Liber in quo: *Autoriq; Nævio honos eſt habitus.* cap. 6. *Et Pericles dignus à quo talis muneris dandi poſteritas potiſſimum initium caperet.* In Veteri clarius & verius: *talis muneris dandi potiſſimum ſumeretur initium.* Deinde, *Sine lamentatione, ſine planctu luctus funeris die, domeſtico ſacrificio adjectoq; neceſſariorum convivio, finitur,* confuſa iſta & obſcura diſtinguit ita & illuſtrat Anglicanus: *Sine lamentatione, ſine luctu, funeris dies domeſtico* etc. cap. 7.

> *Vt in acie exceptorum vulnerum nodoſis ictibus cruore renovato, victoriarum, quos modo ſpecioſiſſimos erat adeptus titulos reſpergeret.*

Diſſolutior hac & impurior junctura. Liber. *victoriarum, quas modò fecerat, adeptos titulos reſpergeret.* Nec deſiderem hic ultrà quicquam. Cap. 10.

> *M. quoq; Porcium Catonem admiratio fortis & ſinceræ vitæ, adeo admirabilem ſenatui fecit.*

Quæ nam hæc dicendi ratio, *admiratio fecit admirabilem?* Sequor veteres, in quorum altero, *M. quoq; Porcium Catonem fortis & ſincera vita adeo venerabilem ſenatui reddidit.* In altero, *fortis & ſinceræ vitæ gravitas adeò venerabilem M. P. Catonem ſenatui reddidit.* Facile videre eſt, quid diſtent æra lupinis. Sequitur continuò,


> *Vt cum invito Cæſare conſule adverſus publicanos dicendo in curia diem extraheret.*

Non producere diem Cato dicendo quæſivit, ſed veluti fallere & quam citiſſimè terminare. Agellius de hac ipſa re, *Eximebatq; dicendo diem.* Falſa itaque vulgata ſcriptio, vera quæ in libro ſervata, *diem abſtraheret.*

CAP.

CAP. V.

Apulejus variè restitutus. Seneca semel.


Egimus apud L. Apuleium apologiâ:

> *Ne tu Claudi Maxime nimis patiens vir es, & oppido proxima humanitate.*

Vbi manifestus in postremis vocibus error sit haud magnæ rei. Colvius *plurimâ humanitate* legendum censuit; Alius, *primâ.* Vir clarissimus Isaacus Casaubonus receptæ lectioni patrocinandum fere credit; Aliàs, si quid mutandum, placeat ipsi, *prolixa.* quod nobis jam diu in mentem fuit. Cicero ad Att. *Interest nostrâ Plancum hoc animo lubenti & prolixo facere.* Iterum: *prolixa & benefica natura.* Et ipse Apulejus, *vivæ uxoris prolixam liberalitatem.* Quæ omnia non tam Lucij hujus Africani bono fusius profero, quàm istius Hispani; qui libro de Beneficijs primò in gemino germano mendo. Ego emaculo, & legam: *Itaq; nec aurum nec argentum nec quicquam eorum quæ à prolixis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas,* Vulgò publicatur, *quæ à proximis,* quod omninò pariter natum ex compendiariâ librariorum scriptione. Quàm tamen id curiosorum hodie criticorum eluserit ingenia, testis CL. Gruterus suis ad Philosophum hunc locupletissimis notis. Ipse verò (ut homo indagine facili & felici) valde probabiliter certè autoris mentem quam proximè divinavera, *prothymis.* Modius, *pro xenys,* elementis volentibus modo sensu. Sed sæpe exclamare jam juvat, ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας. Porrò ex Apulejo duo tria adhuc promam, & pausabo: Editur Milesij sermonis lib. 2.

> *Cerdo quidam nomine negotiator accessit, eum diem commodum peregrinationi cupiens.*

Invenit in membranis diligentissimus atque eruditissimus juvenis Casper Schoppius, *sibi cupiens prævidere.* quod placeat quidem, si distinctiuncula porrò illustres: *accessit eum, diem*

commodum. Cerdonis enim non erat diem aliquem præstituere (qui nec potuit) sed Caldæi istius, qui, ut ajt Lucius, coronæ circumstantium fata donabat. Faciet ad rei lucem istud Iuvenalis:

Quæ castra viro, patriamq; petente
Non ibit pariter numeris revocata Thrasilli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.

Exstat Satyrâ VI. & addit clausulæ vicem aptissimè *Plebejum in ciro positum est, & in aggere fâtum.* Deinde apud Apul. lib. 3.

Verum statuas & imagines dignioribus, meisq; majoribus reservare suadeo.

Notatum jam alijs de majoribus ejus, quod ij videlicet nunc olim ad plures se penetraverant. Itaque variè adjuvare satagunt. Alius vult, *meq; majoribus.* Alius, *dignioribus me usq; majoribus.* Ego hellenissimum agnosco & levi mole repono: *meiq; majoribus.* Exempla superinducere superfluum sit lectione præsertim Apulejana vel leviter exercitis. Eodem statim libro:

Jamq; luminibus meis vigilia marcidis infusus sopor etjam in alium diem nos attinuit.

Est ad manum unica solummodò editio, eaq; novissima; quæ tamen, ut posui, refert. Indubiè interim rectius sit; *in altum diem nos attinuit.*

CAP. VI.

Agamem non Senecæ obiter percursa.



D Agamemnonem paucula hoc quidem capite dabo; Sed acervum contra carus sit vel unus ille de Hercule locus, quem jam annò Macrobianis Notis per occasio-

occasionem inseruimus. Quàm enim is contorserit etjam doctos, norunt Tragici hujus familiares. Itaque Versu 358. *Tibi nexilibus Turba comis redimita venit.* Addit Scriptus, *supplex q; tui.* Deinde quod versu 546.

Tandem horream
Aliena inerti tela mitti dexterâ?
Quid si ipse mittat?

Omnino non spreverim. Erat tamen in Veteri, *Quid si ipse instet*, voce valde item hic apta, imò militari: Valerius. *Cum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset.* Versu 885.

Haurit trementi semivir dextra latus
Nec penitus adigit

Non displicebit ejusdem scriptio: *Nec penitus figit.* Versu 890. *Cupit fluentes undiq; & cæcos sinus Disijcere.* Evariant in postrema voce libri. Anglicanus, ut puto, non absonè *disscissere.* Versu 895. *Sic huc & illuc impiam librat manum.* Melius liber, *impiâ librat manu.* Deniq; quod versu 570. reperitur in melioribus manu exaratis:

Jam timent terram rates
Voluntq; maria? cecidit in lucem furor.

Firmat quoque Anglicanus. De sensu autem controvertitur. Gravis & firmi judicij censor ajt innui posteriori membro; sub lucem demum desisse, ut solet, tempestatem. Delrio, de adventu diei quod dicit vix probum ob id quod sequitur: *Postquam litatum est, Phœbus in lucem redit.* Ego in æstu lectionis hac quasi mente capiebam: horruisse videlicet rates naucleros que terram, ac omni vi renisos ad altum; sed furor & veluti fatum repressit eos ad terram sive facem à Nauplio dolosé accensam. Interim a sententia priori non temere recedo. Porrò versu 724.

Agrestis ille alumnus evertet domum.

Cantabrigiensis, *elicet domum.* Fuerit fors, *elidet.*

CAP. VII.

Plautus Milite illustratus. Item Asinaria. Incanis, sine cana.

DIxi sæpicule & dico, nec dissimulo: Aptissimè tu Iosephe Scaliger manum & limam Accio Plauto adhibere possis. Quis enim te in omni Antiquitate exercitatior? Quis doctrinâ, industriâ, diligentiâ excellentior? Possis itaque hæc commodissimè; & effecisti jamdudum ne infinitis locis æternum caligaremus. Tantum quod crebrò & scripta voce in operibus tuis promittis, præsta; & semel latinissimum nobis scriptorem e ruinis antiquitatis vero suo vultu & cultu producito. Fiet, spero, aliquando, & hoc per remissiones. Interim nos saltuatim & vaga quadam conjectura potius quam certa cura, indicatum ibimus, si fors sanatum, laceras quasdam & latentium ulcerum partes. Milite Sc. *Rem omnem:*

Postquam adhibêre aures meæ tuæ moram orationis.

Fuit qui ex Ennio, in fallor, faciendum censuit: *oram orationis.* Ego id tantum dixero, legi Mostellaria; *orationis operam compendi face.* Porrò Sc. *Hera eccum.*

MILP. *Non faciet bonum animum modo habeto.*
PYRG. *Vt ipsa se contemnit.*
ACR. *Metuo ne predicatio tua nunc meam formam exuperet.*
MIL. *Illuc curavi ut opinione illius pulchrior sis.*

Nisi memet ratio fugiat, fugit ea hic iterum librarios in locandis personis. Ista enim verba: *Metuo ne prædicatio*, omnino gloriosi etjam militis non Acroteleutij sint, Et sic disponendus locus:

MIL. *Non faciet bonum animum modò habeto.*
PYRG. *Vt ipsa se contemnit!*
Metuo ne predicatio tua nunc meam forma exuperet.

MIL.

MIL. *Illuc curavi.*

Sententiæ nostræ non levis fundus est, quod iste Melphidippæ responsus, *illuc curavi*, nequaquam verbis istis, *Metuo ne prædicatio*, conveniat, at optimè hisce Acroteleutij:

ACR. *Ergo iste me metus macerat; quod ille fastidiosus est,*
Ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me:
Atq; ejus elegantia meam extemplò speciem spernat.

Liquidò videre jam est quàm aptè respondeat his Milphidippa: *Bonum animum modo habeto*, item, *illuc curavi, ut opinione ejus pulchrior sis*. Miles interim seorsim arbitrans amatæ suæ sermonem ad Palestrionem conversus, audin, quam sese deprimat, me extollat? Certè, inquit, subvereor ne forma hæc tuâ jam laudatione mei deprehendatur inferior. Nec displicebit si scribi quis malit, *prædicatio sua*, quasi Acroteleutij laudationem capiat miles. *sua* veteri dictione pro *ejus*. Solent autem id arrogantulis istis ac eroticis; Ab amore solo & amica se vinci sinunt.

Sc. *Jam est ante edis*, Vbi editur:
At scin, quid tu facias? facito fastidij plenum
Autumo fuisse: *face te fastidij plenum.*

Sed ad Militem uberius alias. Nunc videas velim, eruditissime Scaliger, si locum habere possit Casinâ, Sc. *Nec pol ego.*
Illæ autem senem
Cupiunt extrudere incænem ex ædibus,

Quomodo in Oxoniensi MS liquido legimus; & superpictum adeo; *id est, sine cæna.* Vulgò est, *incenatum. Incænis* tamen ut *inberbis, elinguis* & talia formatum antiquitus censeam, nisi tu dissentias, summe dictator.

CAP. VIII.

Ad Festum & Nonium aliquot conjectura.

Festi


Esti obscurior locus est, quem haud satis discussum hactenus à doctis invenio, Ego, si fors faveat, serenabo, Ajt Festus,

Tyria maria in proverbium, Afranius Epistola: *Hunc ferreum autem maria Tyria conciet.*

Scriptum videtur in hominem tumultuosum & inmodicè loquacem. Quod si sit, clara satis literarum reliquiæ, quæ lucem faciant adiutæ leviter diviná manu. Nam scribere gestiam:

Hanc ferream cautem Tyria maria concient.

Vulgatum Proverbium, *caute loquatior*, Ex eo quod cautes dum fluctibus marinis & continuis pulsantur horrendum resonent, Et hinc per *ferream cautem*, hominem fortasis quempiam immane tumultuantem notat, eumq; figuratè & eleganter quasi à Tyrijs fluctibus concitatum dicit. Plautus Trinummo, *Sua senectuti aciorem hiemem parat, cum illam importunam tempestatem conciet.* Porrò, ut *ferrea cautes* ita Catullus *ferreo ore* dixerit & Hesiodus, γένος σιδήρεον. Sed aptisimè Seneca Hippolyto: *Vt dura cautes undiq; intractabilis re[illegible] undis & lacessentes aquas longè remittit, verba sic spernit mea.* Addam, si tanti est, ex Nonio. Laudatur in *expergo*: *Extemplò vadit qua genetrix & omnis vocis expergit sono* Fecerat olim I. Gulielmius:

Extemplo exit, evadit pia
Genetrix, & omnis vocis expergit sono.

At *exit* & *evadit* synonyma sunt. Malim ego vix literis mutantibus;

Extemplò excita vadit quaq;
Genetrix, & omnis vocis expergit sono.

Idem in Phrygio: *Phrygio qui pulvinar poterat pingere soliarde vigebat.* videbar elementis haud ab horrentibus reponere: *Phrygio, qui pulvinar poterat pingere, solâ arte vivebat.* Apulejus, *Hic gracili pauperie laborans fabriles operas præbendo, parvis illis mercedibus vitam tenebat.*

CAP. IX.

Emaculata Senecæ Troas auxilio Chirographi.

DVm conjecturis assiduè & nudis insistimus, abesse vix potest quin sæpe & temerariè incurramus, imo malis medicinam polliciti, proferamus sectionem. Hoc & mihi ne accidat, cautè hanc viam ingrediar, &, quantum pote, casci ævi libris veluti ducibus arte applicitus, religiosè componam hos motus. Habemus Troade vers. 53. *Et quondam sacrum Regni jacentis.* Non prætereunda Anglicana scriptura; *quoddam sacrum.* Et fuit sane sua & fatalis quædam vis ruenti huic urbi. Aspexit & Petronius: *Contraq; Troas Troja invocant sacra.* Vers. 114.

Tibi nostra ferit dextra lacertos
Humerosq; ferit tibi sanguineos.

Cantabrigiensis, *humerosq; gerit.* Vers. 195.

Hæc fatus alta voce, divisit diem,

Idem, *alta nocte divisit diem.* Vers. 221. *Apposita celso parva Lyrnessos jugo.* Scriptus, *imposita.* Vers. 390. *Vt calidis fumus ab ignibus Vanescit spacium per breve sordidus.* Vidit doctus & diligens Delrio frigus loci, & est profectò calidi elementi inceptiusculum epitheton, *calidis ignibus.* Maluit ille, *calidus fumus*, & ita Anglicanus. At turbat equidem quod sequitur, *per breve sordidus.* Sed liber idem habet *sordibus.* Amo rescribere,

Vt calidus fumus ab ignibus
Vanescit spacium per breve sordidis.

Non magis, inquit, anima postquam deservit corpus superest aut usquam est, quam fumus ille qui ab igne jam sordenti, id est, cineribus & quasi situ obvoluto, avolavit. Hæc Senecæ & loci mens est. At nos ignoscimus homini præsertim Stoico & illius evi. Vers. 445.

Non ille vultu flammeum incendens jubar.

Eximiè Vetus, *intendens jubar.* Vers. 1075. *Vndiq, effusa ducum Plebisq, turba cingitur.* Malim cum Veteri, *affusa*. Vers. 1084. *Vel saxum immines Muri cadentis pressat*, servabat idem, *saxum petens*. Vers. 1127.

Magna pars vulgi levis
Odit scelus spectatq,.

Nescio an assentiendum libro: *peccatq,.* Tacitus tamen lib. 3. Histor. non absimiliter :*, Factum esse scelus loquuntur faciuntque.*

CAP. X.

Ad Apulei de Mundo spicilegium.



APulejani Mundi fæces & nebulas aptè & feliciter serenavit Vulcanius. Vtinam pari felicitate depurarentur ejusdem autoris cetera, sed & ope pari. Codex enim ille scripturæ & judicij boni fuit; & tu Vulcani qui perlustrasti. Mihi etjamnum superant hæc pauca pag. 180.

Restat, quod caput est sermonis hujus, ut super Mundi rectore verba faciamus. indigens quippe videbitur oratio de Mundo disputantibus, ut etsi minus curiosè, at quomodo possumus, disseramus.

Locus mutilus quem supplet liber non tamen explet, legit: *Indigens quippe orationis hujus videbatur ratio nisi de Mundo reputantes etsi minus curiosè at quomodo possemus diceremus*, Omnino interserendum censes, *de Mundi rectore, etsi minus*. Præoptem ego minori motu, ita: *Indigens quippe orationis hujus videbatur ratio, nisi, (de Mundo reputantes) etsi minus curiosè, at quomodo de eo possemus, diceremus.* Delituisse videantur binæ eæ voculæ in dictione, *quomodo*. Evocavi, ut puto, non violenter & refero commodissimè ad *Mundi rectorem*, quod præcessit. Est deinde pag 224.

Et cali

Et cæli spatium Sol annuâ conversione collustrat, ejusq; comites amænus Lucifer, & communis Cylleniusstella.

Communem Mercurium rectè dixit ex sideris natura, quia, ut docent Caldæi, cum singulis erronibus pro positus sui ratione participat. Et adde quod κοινὸς ἕρμης Græcis in proverbium abijt. Nec Varro prætcrijt, *Avidus judex reum ducebat esse κοινὸν ἕρμην.* Supervacua itaque hîc Colviana & aliorum curatio. pag. 263.

Videasq; illam civitatem pariter spirantem Panchais odoribus & gratè olentibus canis.

Periphrasticῶs, ut solet, interpretatur Aristotelem Apulejus. Verba quæ hîc aspexti hæc sunt: πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει. Vnde profectò nihil elicias de cænis aut convivijs, nec aptè possis cum superioribus jam lineis abundè detexuerit illam telam. Scribo, *graveolentibus scanis.* Non satis ipsi fuit posuisse benigniores suffitus, nisi subdidisset simul, *graveolentibus scanis. Scanum* autem ex Festo, Varrone, Plauto ingrati esse odoris ungentum satis, puto, notum est; Et juvat MS. qui refert *graveolentibus* non *grateolentibus.* pag 62,

Cujus extremus recessus in Meotim senescit & ex Hellesponti fontibus concipitur.

Mones, Vulcani, in libro tuo legi, *Hellesponti fonte*, quod præfers vulgato. At ita abibitur à Philosophi præfinita mente, qui de fonte tali nihil; nec alijs scio scribi. Quare, ut sine ambagibus agam, leviter hîc lapsus exscriptor; Pingi debuit: *ex Hellesponti fronte;* Quod graphicè græcanicum istud συνεζόματα adumbrabit: Et amant ita loqui hi scriptores. Solinus: *Adversa Locrensium fronte ortus à Gadibus, finitur Europæ sinus primus.* Tacit. *à fronte Frisij exipiunt.* Et statim, *Eaq; Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Iterum Solinus, *Quod à circuitu ejus incipiunt Oceanus Gallicus, & frons septentrionalis.* Vbi tamen in MS. quo olim usus sum, pariter per imperitiam scriptum juveni, *fons septentrionalis.*

Nec est dissimile quod de Acheloo ait in Oeteo, *graciliſq́ vado serperet aquo.* Et de Petauro Martialis:

> *Quid si per graciles vias Petauri*
> *Invitum jubeas subire Ladam?*

Versu 212. *Mediumq́ sanos vulgus affectus tenet, Et se coercet modice:* Beneretus, *Quod se coercet modico.* Iuvenalis:

> *Præstabat castas humilis fortuna Latinas*
> *Quondam, nec vitijs contingi parva sinebat Tecta labor.*

Versu 437.

> *Quid te ipse pœnis gravibus infestus gravas,*
> *Quem fata cogunt; hic quidam vivat miser.*

Animat priorem versum Cantabrigiensis: *Quid te ipse pœnis gravibus infestus gravas?* Et statim scribit: *hic quoq́ vivat miser.* Fecero, *quaq́* quod valeat, *ubicunq́.* Vers. 493.

> *Nec scelera populos inter atq́ urbes sita Novit.*

Valde probem quod exstat in eodem: *atq́ urbes scita.* Arnobius: *Ipsum adversum se Jovem remedia sciſſe.* Quomodo & legi apud eundem Gentium antagonistam optem lib. 5. pag. 155. ubi editum, *superq́ sacris ejus origo bacsita est.* At, *scita est* rectum sit. Vers. 701.

> *Procul impudicos corpore à casto amove Tactus.*

Cantabrigiensis, *Pro impudicos.*

CAPVT IV.

Valerius Max. mendis aliquod & gloſſematibus libri ope purgatus.



VAlerium Maximum Postremò & probè censum cum Cantabrigiensi quodo Veteri diligentius in Anglia contuli; & quæ superare videbantur invisa severis illis

illis & accuratis Ariſtarchis libens hic in rem & uſum literarum collegi.

Prologo :

Aut quis compos mentis, domeſtica peregrinaq; hiſtoria ſeriem, felici ſuperiorum ſtilo conditam.

Cantabrigienſis Lycæi MSS. inſpexi bina: Alteri præfatio hæc deerat. In altero liquidò legebatur : *felicis ſeculi ſtilo cenditam.* quod præoptem. Cap. 17. libro primo : *Non procul à Veſſuvij montis radicibus poſitis caſtris.* Idem Vetus, *Prope ab Veſuvij.* Id revocemus. Statim, *ſciſcitatuq; eſt ſiquidem talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidiſ.* Germanum erat in utroque priſco: *ſi quem.* Ibidem: *Inter hanc noctem & ſupplicium capitis, quo eum Cæſar affecit, paululum admodum tempus interceßit.* Ita quidem ex libris quibuſdam Pighius. Conſtanter tamen alter noſter cuſtodiebat, *Pravulum admodum tempus acceßit,* ut ambigere vix liceat quin ſcripſerit Valerius, *parvulum admodum tempus abceßit.* Deinde: *Himeræorum mœnia inter offuſam ad officium & ſpectaculum ejus turbam, ut aſpexit, hunc eſſe.* Vetus, *Himera eum in curiam inter,* quaſi non oppidi ſed fæminæ ipſius nomen ſit. Cogitemus. Cap. 8.

Sed ipſam cælo junonem petitam
portare ſe credentes.

Idem non malè, *Junonem præſtitam.* Et ſtatim *Hoc modo Fortuna ſæviens, huic vocem, ijs vitam ademit, illi propria donat.* Vbi poſteriores voces, *illi prop.* hic ineptas cenſeo & nullæ rei. Delendæ itaq; vel fide libri. Deinde cap. 4. lib. 2.

Ea res avertit vulgi animum, & famam Scipionis magnopere quaſſavit.

Scriptum prævaleat, *vertit vulgi animum.* Conſequenter: *Ludos & lectiſternia, continuis tribus noctibus; quia totidem filij periculo liberati erant; fecit.* Vbinam, obſecro, in tota hac narratione trium meminit Valeſij filiorum Valerius? Docuit in exordio duos ei filios fuiſſe & filiam unam. Quo quid adverſus expreſſam

scripturam clarius? Itaq; ex Veteri veritas reducenda: *totidem liberi.* Cap. 3. *Ideoq; autori ejus Nævio adhuc honor est habitus.* Ergone Valerij adhuc evo Nævius ob istud institutum honeratus? Futarunt id clarè alij, & juvat eos Liber in quo: *Autoriq; Nævio honos est habitus.* cap. 6. *Et Pericles dignus à quo talis muneris dandi posteritas potißimum initium caperet.* In Veteri clarius & verius: *talis muneris dandi potißimum sumeretur initium.* Deinde, *Sine lamentatione, sine planctu luctus funeris die, domestico sacrificio adjectoq; necessariorum convivio, finitur,* confusa ista & obscura distinguit ita & illustrat Anglicanus: *Sine lamentatione, sine luctu, funeris dies domestico* etc. cap. 7.

> *Vt in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus cruore renovato, victoriarum, quos modo speciosißimos erat adeptus titulos respergeret.*

Dissolutior hac & impurior junctura. Liber. *victoriarum, quas modò fecerat, adeptos titulos respergeret.* Nec desiderem hic ultrà quicquam. Cap. 10.

> *M. quoq; Porcium Catonem admiratio fortis & sinceræ vitæ, adeo admirabilem senatui fecit.*

Quæ nam hæc dicendi ratio, *admiratio fecit admirabilem?* Sequor veteres, in quorum altero, *M. quoq; Porcium Catonem fortis & sincera vita adeo venerabilem senatui reddidit.* In altero, *fortis & sinceræ vitæ gravitas adeò venerabilem M. P. Catonem senatui reddidit.* Facile videre est, quid distent æra lupinis. Sequitur continuò,

> *Vt cum invito Cæsare consule adversus publicanos dicendo in curia diem extraheret.*

Non producere diem Cato dicendo quæsivit, sed veluti fallere & quam citißimè terminare. Agellius de hac ipsa re, *Eximebatq; dicendo diem.* Falsa itaque vulgata scriptio, vera quæ in libro servata, *diem abstraheret.*

CAP.

CAP. V.

Apulejus variè restitutus. Seneca semel.


Egimus apud L. Apuleium apologiâ:

> *Ne tu Claudi Maxime nimis patiens vir es, & oppido proxima humanitate.*

Vbi manifestus in postremis vocibus error sit haud magnæ rei. Colvius *plurimâ humanitate* legendum censuit; Alius, *primâ.* Vir clarissimus Isaacus Casaubonus receptæ lectioni patrocinandum fere credit; Aliàs, si quid mutandum, placeat ipsi, *prolixa.* quod nobis jam diu in mentem fuit. Cicero ad Att. *Interest nostrâ Plancum hoc animo lubenti & prolixo facere.* Iterum: *prolixa & benefica natura.* Et ipse Apulejus, *viri uxoris prolixam liberalitatem.* Quæ omnia non tam Lucij hujus Africani bono fusius profero, quàm istius Hispani; qui libro de Beneficijs primò in gemino germano mendo. Ego emaculo, & legam: *Itaq; nec aurum nec argentum nec quicquam eorum quæ à prolixis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas,* Vulgò publicatur, *quæ à proximis,* quod omninò pariter natum ex compendiariâ librariorum scriptione. Quàm tamen id curiosorum hodie criticorum eluserit ingenia, testis CL. Gruterus suis ad Philosophum hunc locupletissimis notis. Ipse verò (ut homo indagine facili & felici) valde probabiliter certè autoris mentem quam proximè, divinavera, *prothymis.* Modius, *pro xenijs,* elementis volentibus modo sensu. Sed sæpe exclamare jam juvat, ἁπλῦς ὁ μῦθ@ τῆς ἀληθείας. Porrò ex Apulejo duo tria adhuc promam, & pausabo: Editur Milesij sermonis lib. 2.

> *Cerdo quidam nomine negotiator accessit, eum diem commodum peregrinationi cupiens.*

Invenit in membranis diligentissimus atque eruditissimus juvenis Casper Schoppius, *sibi cupiens prævidere.* quod placeat quidem, si distinctiuncula porrò illustres: *accessit eum, diem*

commodum. Cerdonis enim non erat diem aliquem præstituere (qui nec potuit) sed Caldæi istius, qui, ut ait Lucius, coronæ circumstantium fata donabat. Faciet ad rei lucem istud Iuvenalis:

Quæ castra viro, patriamq; petente
Non ibit pariter numeris revocata Thrasilli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.

Exstat Satyrâ VI. & addit clausulæ vicem aptissimè *Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum.* Deinde apud Apul. lib 3.

Verum statuas & imagines dignioribus, meisq; majoribus reservare suadeo.


Notatum jam alijs de majoribus ejus, quod ij videlicet nunc olim ad plures se penetraverant. Itaque variè adjuvare satagunt. Alius vult, *meq; majoribus.* Alius, *dignioribus me usq; majoribus.* Ego hellenissimum agnosco & levi mole repono: *meiq; majoribus.* Exempla superinducere superfluum sit lectione præsertim Apulejana vel leviter exercitis. Eodem statim libro:

Jamq; luminibus meis vigilia marcidis infusus sopor etjam in alium diem nos attinuit.

Est ad manum unica solummodò editio, eaq; novissima; quæ tamen, ut posui, refert. Indubiè interim rectius sit; *in altum diem nos attinuit.*

CAP. VI.

Agamemnon Senecæ obiter percursa.



AD Agamemnonem paucula hoc quidem capite dabo; Sed acervum contra carus sit vel unus ille de Herculе locus, quem jam annò Macrobianis Notis per occasio-

occasionem inseruimus. Quàm enim is contorserit etjam doctos, norunt Tragici hujus familiares. Itaque Versu 358. *Tibi nexilibus Turba comis redimita venit.* Addit Scriptus, *supplexq; tui.* Deinde quod versu 546.

Tandem horream
Aliena inerti tela mitti dexterâ?
Quid si ipse mittat?

Omnino non spreverim. Erat tamen in Veteri, *Quid si ipse instet*, voce valde item hic apta, imò militari: Valerius. *Cum militem acriter sibi in acie instantem cominus interemisset.* Versu 885.

Haurit trementi semivir dextra latus
Nec penitus adigit

Non displicebit ejusdem scriptio: *Nec penitus figit.* Versu 890. *Cupit fluentes undiq; & caecos sinus Disijcere.* Evariant in postrema voce libri. Anglicanus, ut puto, non absonè *dissciissere.* Versu 895. *Sic huc & illuc impiam librat manum.* Melius liber, *impiâ librat manu.* Deniq; quod versu 570. reperitur in melioribus manu exaratis:

Jam timent terram rates
Voluntq; maria? cecidit in lucem furor.

Firmat quoque Anglicanus. De sensu autem controvertitur. Gravis & firmi judicij censor ajt innui posteriori membro; sub lucem demnm desisse, ut solet, tempestatem. Delrio, de adventu diei quod dicit vix probum ob id quod sequitur: *Postquam litatum est, Phoebus in lucem redit.* Ego in aestu lectionis hac quasi mente capiebam: horruisse videlicet rates nauclerosque terram, ac omni vi renisos ad altum; sed furor & veluti fatum repressit eos ad terram sive facem à Nauplio dolosé accensam. Interim à sententia priori non temere recedo. Porrò versu 724.

Agrestis ille alumnus evertet domum.

Cantabrigiensis, *elicet domum.* Fuerit fors, *elidet.*

CAP. VII.

Plautus Milite illustratus. Item Asinaria. Incanis, sine cœna.

Dixi sæpicule & dico, nec dissimulo: Aptissimè tu Iosephe Scaliger manum & limam Accio Plauto adhibere possis. Quis enim te in omni Antiquitate exercitatior? Quis doctrinâ, industriâ, diligentiâ excellentior? Possis itaque hæc commodissimè; & effecisti jamdudum ne infinitis locis æternum caligaremus. Tantum quod crebrò & scripta voce in operibus tuis promittis, præsta, & semel latinissimum nobis scriptorem e ruinis antiquitatis vero suo vultu & cultu producito. Fiet, spero, aliquando, & hoc per remissiones. Interim nos saltuatim & vaga quadam conjectura potius quam certa cura, indicatum ibimus, si fors sanatum, laceras quasdam & latentium ulcerum partes. Milite Sc. *Rem omnem:*

Postquam adbibère aures meæ tuæ moram orationis.

Fuit qui ex Ennio, in fallor, faciendum censuit: *oram orationis.* Ego id tantum dixero, legi Mostellaria; *orationis operam compendi face.* Porrò Sc. *Hera eccum.*

MILP. *Non faciet bonum animum modo habeto.*
PYRG. *Vt ipsa se contemnit.*
ACR. *Metuo nc predicatio tua nunc meam formam exuperet.*
MIL. *Illuc curavi ut optnione illius pulchrior sis.*

Nisi memet ratio fugiat, fugit ea hic iterum librarios in locandis personis. Ista enim verba: *Metuo ne prædicatio*, omnino gloriosi etjam militis non Acroteleutij sint, Et sic disponendus locus:

MIL. *Non faciet bonum animum modò habeto.*
PYRG. *Vt ipsa se contemnit!*
Metuo ne prædicatio tua nunc meam forma exuperet.

MIL.

MIL. *Illuc curavi.*

Sententiæ nostræ non levis fundus est, quod iste Melphidippæ responsus, *illuc curavi*, nequaquam verbis istis, *Metuo ne prædicatio*, conveniat, at optimè hisce Acroteleutij:

> ACR. *Ergo iste me metus macerat; quod ille fastidiosus est,*
> *Ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me:*
> *Atq; ejus elegantia meam extemplò speciem spernat.*

Liquidò videre jam est quàm aptè respondeat his Milphidippa: *Bonum animum modò habeto*, item, *illuc curavi, ut opinione ejus pulchrior sis*. Miles interim seorsim arbitrans amatæ suæ sermonem ad Palestrionem conversus, audin, quam sese deprimat, me extollat? Certè, inquit, subvereor ne forma hæc tuâ jam laudatione mei deprehendatur inferior. Nec displicebit si scribi quis malit, *prædicatio sua*, quasi Acroteleutij laudationem capiat miles. *sua* veteri dictione pro *ejus*. Solens autem id arrogantulis istis ac eroticis; Ab amorē solo & amica se vinci sinunt.

Sc. *Jam est ante edis*, Vbi editur:

> *At scin, quid tu facias? Jacito fastidij plenum*

Autumo fuisse: *face te fastidij plenum.*

Sed ad Militem uberius alias. Nunc videas velim, eruditissime Scaliger, si locum habere possit Casinâ, Sc. *Nec pol ego.*

> *Illæ autem senem*
> *Cupiunt extrudere incænem ex ædibus,*

Quomodo in Oxoniensi MS liquido legimus; & superpictum adeo; *id est, sine cæna.* Vulgò est, *incenatum*. *Incænis* tamen ut *inberbis, elinguis* & talia formatum antiquitus censeam, nisi tu dissentias, summe dictator.

CAP. VIII.

Ad Festum & Nonium aliquot conjectura.

Festi

Esti obscurior locus est, quem haud satis discussum hactenus à doctis invenio, Ego, si fors faveat, serenabo, Ajt Festus,

Tyria maria in proverbium, Afranius Epistola: Hunc ferreum autem maria Tyria conciet.

Scriptum videtur in hominem tumultuosum & inmodicè loquacem. Quod si sit, clara satis literarum reliquiæ, quæ lucem faciant adiutæ leviter divinâ manu. Nam scribere gestiam:

Hanc ferream cautem Tyria maria concient.

Vulgatum Proverbium, *caute loquatior*, Ex eo quod cautes dum fluctibus marinis & continuis pulsantur horrendum resonent, Et hinc per *ferream cautem*, hominem fortassis quempiam immane tumultuantem notat, eumq; figuratè & eleganter quasi à Tyrijs fluctibus concitatum dicit. Plautus Trinummo, *Suæ senectuti aciorem hiemem parat, cum illam importunam tempestatem conciet.* Porrò, ut *ferrea cautes* ita Catullus *ferreo ore* dixerit & Hesiodus, γένος σιδήρεον. Sed aptissimè Seneca Hippolyto: *Vt dura cautes undiq; intractabilis re[illegible] undis & lacessentes aquas longè remittit, verba sic spernit mea.* Addam, si tanti est, ex Nonio. Laudatur in *expergo*: *Extemplò vadit qua genetrix & omnis vocis expergit sono* Fecerat olim I. Gulielmius:

Extemplo exit, evadit pia
Genetrix, & omnis vocis expergit sono.

At *exit* & *evadit* synonyma sunt. Malim ego vix literis mutantibus;

Extemplò excita vadit quaq;
Genetrix, & omnis vocis expergit sono.

Idem in Phrygio: *Phrygio qui pulvinar poterat pingere soliarde vigebat.* videbar elementis haud ab horrentibus reponere: *Phrygio, qui pulvinar poterat pingere, solâ arte vivebat.* Apulejus, *Hic gracili pauperie laborans fabriles operas prabendo, parvis illis mercedibus vitam tenebat.*

CAP.

CAP. IX.

Emaculata Senecæ Troas auxilio Chirographi.

DVm conjecturis assiduè & nudis insistimus, abesse vix potest quin sæpe & temerariè incurramus, imo malis medicinam polliciti, proferamus sectionem. Hoc & mihi ne accidat, cautè hanc viam ingrediar, &, quantum pote, casci ævi libris veluti ducibus artè applicitus, religiosè componam hos motus. Habemus Troade vers. 53. *Et quondam sacrum Regni jacentis.* Non prætereunda Anglicana scriptura; *quoddam sacrum.* Et fuit sane sua & fatalis quædam vis ruenti huic urbi. Aspexit & Petronius: *Contraq; Troas Troja invocant sacra.* Vers. 114.

Tibi nostra ferit dextra lacertos
Humerosq; ferit tibi sanguineos.

Cantabrigiensis, *humerosq; gerit.* Vers. 195.

Hæc fatus alta voce, divisit diem,

Idem, *alta nocte divisit diem.* Vers. 221. *Apposita celso parva Lyrnessos jugo.* Scriptus, *imposita.* Vers. 390. *Vt calidis fumus ab ignibus Vanescit spacium per breve sordidus.* Vidit doctus & diligens Delrio frigus loci, & est profectò calidi elementi ineptiusculum epitheton, *calidis ignibus.* Maluit ille, *calidus fumus*, & ita Anglicanus. At turbat equidem quod sequitur, *per breve sordidus.* Sed liber idem habet *sordibus.* Amo rescribere,

Vt calidus fumus ab ignibus
Vanescit spacium per breve sordidis.

Non magis, inquit, anima postquam deservit corpus superest aut usquam est, quam fumus ille qui ab igne jam sordenti, id est, cineribus & quasi situ obvoluto, avolavit. Hæc Senecæ & loci mens est. At nos ignoscimus homini præsertim Stoico & illius evi. Vers. 445.

Et cæli spatium Sol annuâ conversione collustrat, ejusq; comites amænus Lucifer, & communis Cyllenius stella.

Communem Mercurium rectè dixit ex sideris natura, quia, ut docent Caldæi, cum singulis erronibus pro positus sui ratione participat. Et adde quod κοινὸς ἑρμῆς Græcis in proverbium abijt. Nec Varro præterijt, *Avidus judex reum ducebat esse κοινὸν ἑρμῆν.* Supervacua itaque hic Colviana & aliorum curatio. pag. 263.

Videasq; illam civitatem pariter spirantem Panchæis odoribus & gratè olentibus canis.

Periphrasticῶs, ut solet, interpretatur Aristotelem Apulejus. Verba quæ hic aspexit hæc sunt: πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει. Vnde profectò nihil elicias de cænis aut convivijs, nec aptè possis cum superioribus jam lineis abundè detexuerit illam telam. Scribo, *graveolentibus scanis.* Non satis ipsi fuit posuisse benigniores suffitus, nisi subdidisset simul, *graveolentibus scanis.* *Scanum* autem ex Festo, Varrone, Plauto ingrati esse odoris ungentum satis, puto, notum est; Et juvat MS. qui refert *graveolentibus* non *grateolentibus.* pag 62,

Cujus extremus recessus in Meotim senescit & ex Hellesponti fontibus concipitur.

Mones, Vulcani, in libro tuo legi, *Hellesponti fonte*, quod præfers vulgato. At ita abibitur à Philosophi præfinita mente, qui de fonte tali nihil; nec alijs scio scribi. Quare, ut sine ambagibus agam, leviter hic lapsus exscriptor; Pingi debuit: *ex Hellesponti fronte;* Quod graphicè græcanicum istud συνεσόματοι adumbrabit: Et amant ita loqui hi scriptores. Solinus: *Adversa Locrensium fronte ortus à Gadibus, finitur Europæ sinus primus.* Tacit. *à fronte Frisij exipiunt.* Et statim, *Eaq; Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Iterum Solinus, *Quod à cicruitu ejus incipiunt Oceanus Gallicus, & frons septentrionalis.* Vbi tamen in MS. quo olim usus sum, pariter per imperitiam scriptum juveni, *fons septentrionalis.*

CAP. XI.

In Juvenale aliquot ex libro racemationes.

VAlde me Satyra capit, & maximè cum hoc sive ævum sive rerum hanc scenam cogito. Quis nunc Democritus ridendo sufficiat? Quis Heraclitus flendo? Nam quod ille de nummis extulit, crevisse videlicet amorem eorum, quantùm ipsi: Ego de vitijs, qui jam sunt mores. Iunius itaque Iuvenalis, cui assiduum cum monstris ejusmodi negotium, qui medicinas saluberrimas moribus, qui catharica & cauteres acriter adigit humanis erroribus, sæpe nobis in manu sit. Legebam Sat. I.

Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ;
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter.

Vbi MS. quem in Notis Macrobianis aliquoties laudavimus, non *Prætextatus* agnoscit, at *præstatus*, ita: *Quem sponsæ turpes, quem præstatus adulter?* Sat. 3. *Possis ignavus haberi, Et subiti casus improvidus, ad cœnam si Intestatus eas.* Est deinde Sat. 8.

Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.

In veteri est, *Corithæ*, quomodo & alibi Iuvenalis, *Sed venale pecus Corithæ, posteritas & Hirpini.* Sequitur Sat. XI.

Convictus, thermæ, stationis omne treatum
De Rutilo.

Quod ex libro suo Lipsius depromebat, *conventus*, id & nostro confirmatur. & illo ejusdem Satyrici, *Conventum tamen & pactum & sponsalia nostra Tempestate paras* Et statim, *littore ab Oceano Gallis venientibus*, scriptum in eodem, non *Oceani*. Sat. 12.

Alternum puppis latus evertentibus undis.

Vellem ego: *everrentibus undis*, ut fieret illud Propertij: *Nec nostra Achaicum verreret ossa mare.* Ibidem statim: *Illuc Decidit, ut malum ferro submitteret*, Optimè profectò Scriptus: *Illud Accidit, ut malum ferro*

lum ferro submitteret. Caper Grammaticus, *Accidit aliquid adversi, contingit aliquid pulchri dicito.* Exstat deinde Sat. IX.

Et duo fortes
De grege Mæsorum, qui me cervice locata securum jubeant clamoso insistere circo.

Liber idem disertim; *Medorum*, adeò ut Sat. 7. mihi etjam verum videatur, *Perq; forum juvenes longo premit assere Medos*, contrà quàm censet vir doctus, qui Mæsis solis roboris hanc laudem dat. Strabo tamen etjam de Medis lib. XI. *Atq; hoc*, inquit *Medorum est, quamquam non omnium, sed montanorum, eum in regem eligere, qui fortissimus sit.* Et Seneca in apocolocynthosi Claudiana: *Pictaq; Medi terga fugacis.* Interim non dissimulabo reperisse me etjam hisce diebus in melioris notæ MS. vulgatam lectionem, *de grege Mæsorum.* Fecerat ejus mihi copiam humanissimus & doctissimus vir Eilhardus Lubinus, qui in hoc Rostochiensi Lycæo publicè humaniores has artes & cum laude profitetur. Porrò locus iste Sat. 10.

Conjugium petimus, partumq; uxoris: at illis
Notum qui pueri, qualisq; futura sit uxor.

Ex Plauto, in fallor, haustus. Ait Milite Sc. *cobibe, Tùm ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum aut broncum filium.* Et ille supra:

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per secula mortem
Distulit, atq; suos jam dextra computat annos,
Quiq; novum toties mustum bibit. Oro parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ob omni,
Quisquis adest, socio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo

Adumbratus quodammodo à Propertio:

Atq; utinam primis animam me ponere cunis
Jußiſſet quævis de tribus una ſoror.
Nam quò tam dubiæ ſervetur ſpiritus horæ ?
Neſtoris eſt viſus poſt tria ſæcla cinis.
Si tam longævæ minuiſſet fata ſenectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidiſſet corpus humati,
Diceret aut, ô mors cur mihi ſera venis ?


Denique Manuſcriptum, quod dixi, uti receptas quandoque lectiones retinet, ita viciſsim cum noſtro ſæpicule facit, Editur vulgo Sat. 13.

Nec prius inde domum, quam tota novacula ſævos
In ventres abeant.

Referebat idem, *in ventres habebant*, & ſuperpictum, *abeant.* At noſtrum disertè, *in ventres habeant.* Et ſtatim: *Ac vilis ſacci mercator olentis.* Vterq; liber, *à Siculis ſacci mercator olentis.* Quod ego germanum cenſeo; ſicut & Sat. 8. *Res haud mira tamen, citharœdo principe mimus Nobilis.* Vbi vulgo, *natus Nobilis.* Et talia alia paſsim; ſed nos jam aliò properamus.

CAP. XII.

Multa Caſinâ emendata. Ad Pervigilij ſcriptorem conjectura.



Edimus ad Plautum; & quicquid porrò Caſinâ indicio libri invenimus, communicabimus cum fide. Prologo:

Hæc quum primum acta eſt, vicit omnes fabulas.

Fuit in ſcripto, *primatum.* fortaſsis, *primatim.* Et ſtatim, *Sed abſentes tamen proſunt præſentibus*, idem, *ſed tamen abſent.* Deinde,

Eijcite ex animo curam atq; alienum æs. Vetus, *ducite ex animo*, fuerit, *educite.* Iuvenalis; *Occulta ad patres eduxit crimina servus.* Porrò ubi ajt, *Latinè Plautus cum latranti nomine*, scriptum ad oram, *Casinam intelligit.* Quod convenit cum eo quod alibi in hunc sexũ: *nolo mihi oblatratricem in ædis intromittere.* Hoc additum volui, quia certasse doctos comperi quid esset hîc *latrans nomen.* Sub finẽ: *Et hic in nostra terra etjam in Apulia.* Abest à Veteri, *etjam.* Et rectè *Terra Apulia*; ut *terra Græcia* jam pervulgatum sit. Sequitur Sc. *Non mihi.*

Præfeci, rure rectè qui curet, tamen
Ego, bene quod veni in urbem, ubi impetravero.

Bene liber; *qui curet tamen.* Et statim, *Quam tu ejus potior fias*, non, *potitor.* De quo omnino ad I. Gulielmi Plautinas Quæstiones visere vos velim. Diende Sc. 4.

Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire.

Quod in libro inveni Plauti γνήσιον est, *nitoribus nitore antevenire.* Anteit, inquit, omnibus rebus amor & ipsis nitoribus nitore. Infra: *munditijs munditiam antideo.* Solenne autem latinis; qui amoribus aut similibus amænitatibus occupati, *nitidos* dici. Plautus vel eâdem hac scenâ, *Qui postquam amo Casinam, magis niteo.* Et juvenalis: *Hæc eadem illi Omnia cum faciunt, hilares nitidiq; vocantur.* Apud Pervigilij Veneris scriptorem hac parte peccatum est, Vulgatur:

Nec Ceres nec Bacchus absunt, nec poetarum Deus,
Detinent, & tota nox est pervigil à cantibus.

Ego ex re ipsa reponam, *denitent*, & arbitrabuntur docti. Scena quinta:

Qui illum dij omnes deaq; perdant,

Scriptus refert, *sui illum dij.* Quod ego non spreverim. Intelligat autem uxorem & eos qui armigero magis quàm Villico in Casinâ ducendâ favebant. Liquet ex subsequis hisce verbis:

Inimica

Inimica est tua uxor mihi, inimicus filius. Inimici familiares.

Ad quæ Stalino senex. *Quid id*, inquit, *refert tua? Unus tibi hic dum propitius sit Jupiter, Tu istos minutos cave deos flocciseceris.* Sc. *Face Chaline:*

Quid si propriùs attollamus signa, eamusq; obviam.

Vetus, *fiamusq; obviam.* Et statim: *Atq; ego censui abs te posse hoc me impetrare, uxor mea*, habet idem, *mecum impetrare*, quod valet, *me*. Quomodo, *mecum orare, tecum orare* pro *me, te*, proletarium est apud Comicos. Sc. *Vt properarem.*

Non castor vilis emtu' est, modio qui venit salis.

Cum in Scripto reperissem, *velis*, suspicabar extemplò faciendum, *Nom ecastor veles emtu' st. modio qui venit salis?* De *modio salis* vide quæ observavit in Centurionatu Nobiliss. Dousa. Sc. deinde, *Nulla sum*, Sybillæ folium sint ista verba:

> PAR. *Here mi.* ST. *Quid vis mea ancilla?* PAR. *nimium savis*
> ST. *Numerò dicis.*

Nam quî hîc faciat, *numerò dicis*, quod esset, *nimium citò*, ut video velle interpretes? Non ambigio quin assensuri mihi omnes, si legam: ST. *Num hero dicis?* Nam erat in Veteri, *Nos hero dicis.* Sequitur. Sc. *Vide fur.*

> OL. *qui herus.*
> ST. *Cujus tu servus es.* OL. *servus ego?* STA. *atq; meus.* OL. *non sum ego liber?*
> *Memento, memento.* ST. *mane atq; astra* OL. *omitte. servus sum tuus.*
> *Optimè est.*

Quam sæpe personarum notæ turbaverint, alij & nos etjam hisce libris non semel demonstravimus. Hoc loco iterum faciemus, & liquido reseribendum monemus, OL. *omitte.* ST. *servus sum tuus.* OL. *optimè est.* Quam conjecturam nostram non res solùm ipsa probat, sed cogunt quoq; sequentia hæc

senis

senis verba: *mi pater mi patrone.* & statim, *tutu sum equidem.* Sc. *nulla sum.*

illæ autem senem
Cupiunt extrudere incænatum ex ædibus.

Monuimus superius capite, nil fallor, septimo, haberi in Anglicano, *incænem.* & fugit tunc admonere idem esse in lectionibus Langianis & Camerarij editione primâ. Dubitare idcirco de bonitate nefas sit. Infra Sc. *age t.bicen.* St, *at ego amo.* OL. *ago hercle Nihil facio tibi, amor, pericli:* Non videatur abs re quod retinebat idem Vetus, *Nihil fatio tibi, amator, pericli.* Deniq; quod primo loco dicendum fuerat, Sc. primâ ubi editur:

Post autem, nisi ruri tu ervom comederis.

Invenisse nos in Oxoniensi Veteri, *nisi tu ruri aceruo mederis;* quomodo liquidò etjam præferunt Langij lectiones. Ille item Germanici populi flos illibatus Ioachimus Camerarius, similia vestigia deprehendit in suo. Plautir iaque mentem, & ductum literarum subsequuti; valdè verisimiliter reponimus:

Post autem nisi ruri tu aceratum ederis.

Aceratum quod palea sive acere permistum est. quæ dictio, remotior fortassis librarios turbavit. Festus itaque, qui reservavit, adeundus.

CAP. XIII.

In Statio Papinio variæ emendationes.
Propertij lectio vetus retinetur.

Sed à Plauto pausa paulisper esto. In Sylvas Papinianas abeo, &, cum Comico illo, odorans quasi canis venaticus, maculas aliquot eluere conabor non boni moris. Habemus Stellæ epithalamio. Vers. 239.

Hic eques, hic juvenum quæstus stola mixta laborat

adulterina omnino dictio *questus*, & nisi fallor, germanissimam reduxi minimâ mutatione. *juvenum castu*. Idem alibi:

Hic tibi festa
Gymnas, & insontes juvenum sine castibus ira
Annua veloci peragunt certamina lustro.

Hoc itaq; meridie puto jam liquidius; nec ambigendum quoque vers. 274.

Cumq; tuos tacito natura recessu
Formarit vultus, multum de patre decoris
Plus de matre feras.

Quin lumen suum reddatur illuni, ut sic loquar, loco, si refecero leviter: *Cumq; tuos tacito Natura recessu Formaris vultus.* Apostrophicos, ut solet, ad Naturam. Alibi, *Tuq;, oro, Natura sinas, cui prima per orbem jura animis sociare datum.* Stoteria, Vers. 27.

Nec conscia detur
Pirene, largos potius mibi gurges in haustus
Qui bibitur de fonte tuo.

Facio: *largos potior mihi gurges in haustus.* Martialis; *Nam quis ab Aonio largius amne bibit?* Deinde Vers. 69. *Expediam. Genus ipse suis, præmissaq; retro Nobilitas, nec origo latet.* Rescribe: *Expediam genus. Ipse suos.* Epiced. in Glauciam vers. 129.

Brevibus contringere lenis
Pectora.

Videtur fuisse: *lanis.* & statim vers. 164. *Prodigus, & totos Melior succendere sensus*, legendum, *census*, liquet ex ipsa re. Surrent vers. 127.

Dubio, quem non in turbine rerum
Deprendit suprema dies.

Malim ego: *dubium*, vel maximè quia sequitur: *sed abire paratum, Et plenum vitæ.* Arbore Atedij Vers. 47.

Spargere

Spargere tu laticem, & folijs turbare memento.

Peccat hæc lectio adversus religionem Veterum, qua anxie exoptabant ut molliter decubarent defunctorum amorum ossa. Deinde, vel absq; hoc sit, quomodo turbare laticẽ dicentur folia illa levia & caduca? Hæc cum ita se habeant, non diu de medicina dispiciendum fuit. Nam ecce occurrebat calidè:

Spargere tu laticem, & folijs umbrare memento.

Et, ut spero, etjam validè satis ad hunc ægrum. Quocirca & statim quoque malim, *& illæsa tutabor utrimq; senectâ,* non *utramq;*. Ad rem porro facient hæc ista Propertij:

Di faciant mea ne terrâ locet ossa frequenti,
Qua facit aßiduo tramite vulgus iter:
Post mortem, tumuli sic infamantur amantum,
Me tegat arboreâ devia terra comâ.

Epiced. Pileti Vrsi, vers. 78. *Seseq; videndo Torsit, & invidia mortemq; amplexa, jacenti injecit nexus.* Verum erit, *invidiam. Jacenti injecit nexus.* D. Hieronymus, *Non stantibus coronam, sed jacentibus manum porrige.* Est deinde Hercule Surrent. lib. 3.

Cum prima novercæ
Monstra manu premeres atq; exanimata doleres.

Scripsit haud dubio ita Papinius; etjam Propertius lib. 1. eleg. 16. *Frigidaq; Eoo me dolet aura gelu.* Vbi tamen *dolat,* malum pedem intulisse vulgò videre est. In Lachrimis Hetrusci versu 50.

Proprijs sub regibus omnis
Terra premit.

Scire velim quid sit hic, *terrâ premit.* Sed legam ego: *Terra tremit.* Idem ad Menecratem, *dulci tremit ecce tumultu. Tot dominis clamata domus.* Ad Claudiam uxorem vers. 24.

Servet, & in senium tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, & adhuc juvenile vagantem,

Fixisti, tua frena libens docilisq; recepi.

Vix credam hæc hactenus à quoquam intellecta plenè, nec intelligenda adeò, nisi stili acie aperiamus, ità:

Servet & in senium. Tu quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, & adhuc juvenile etc.

Porrò libro quarto ad Menecratem non recte item editur:

Cumq; tibi vagitet tertius infans
Protinus ingenti non venit nuncia cursu
littera.

Nam ex filo sermonis indubium rescribere : *Cumq; tibi vagiret.* Nec majus, quà elementis, erratum invalvit lib. 5. at quà sensu immane majus. vulgatur Sylvâ primâ sub finem: *Lumine purpureo tristes aperire tenebras,* Cum omninò contrarium ex mente Papinij sit scribendumque: *operire tenebras.* Proserpina, inquit, si pias purasque mentes adventare cognoverit, præmittit meliores animas quæ orci horrorem aspectu benigniore exhilarent, flores præspargant, nubilia serenent. Innuit iterum Epiced. Patris:

Si laudanda precor, tædas auferte comasq;
Eumenidum, nullo sonet asper janitor ore.
Centaurosq;, hydræq; greges, scyllæaq; monstra,
Aversæ celent valles.

CAP. XIV.

Octavia Senecæ obiter recensita.



EXstat Octravia vers. 180.

Solatur iste nostra, non relevat mala.

Quid? nonne relevet id jure dolorem quod dolenti solatio est? Scriptum itaq; adijmus in quo : *rebellet mala.* Non me fugit quod voluit, *revellit mala.* Solabatur quidem, inquit, insitum illud & occultum malum, sed non revellebat. Vers. 375.

O quam

O quam juvabat (quo nihil magis parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, solis & currus sacros
Mundiq; motus, solis alternas vices.

Hiantia hæc & luxa. Liber vix juvat; in quo tamen *cursus* non *currus*. Conjectabo: *cælum intueri solus, & cursus sacros*. *Solus intueri cælum*, quasi videlicet securus nec alius curæ. Philosophi hæc monetâ, ut aliæ poetæ hujus plurima, percussa sunt. Ajt Natural. 1. *Securè spectat occasus siderum atq; ortus & diversas concordantium vias*. In Epistolis, *Libebat intueri signa ex media cæli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quid ni juvaret vagari inter tam latè sparsa miracula?* Vers. 454.

An patiar ultro sanguinem nostrum peti,
Invisus & contemptus ut subitò opprimar.

Impura & minus hæc apta arguit noster & alij scripti, quibus est, *Invictus, & contemptus*. Quod quis defendat. Tamen videndum num aptior historiæ divinatio nostra, *An patiar ultrò sanguinem nostrum peti Invictis, & contemptus*. Nam dolet & quæritur tantum Nero de impunitate eorum, qui adeò ipsi superbi atq; indomiti insultabant. Addit statim:

Exilia non fregĕ e summotos procul
Plautum atq; Sullam. Et deinde,
Tollantur hostes ense suspecti mihi.

Vers. 784.

Quæcunq; claro marmore effigies stetit,
Aut ara fulgens, ora Poppææ gerens.

Acer sagaxq; nostri ævi censor non negat quidem aras etjam positas Poppææ, sed quod illæ os ejus gessissent, haud putat. Scribendum itaq; voluit, *Aut ære fulgens*. Et verò in Anglicano reperi, *Aut ara fulgens ærea Poppæa gerens*. Quod vide si juvandum leviter legendumq; *Poppæam gerens*. *Aram æream* cæperit quadratum illud pedimentum, aut ut Poeta appellat, *toros*, quibus impositæ hodieque Romæ visuntur clarorum

imagines. Dixit superius, *Ipsamq; toris detrahat aliis.* Et Iuvenal. *Descendunt statuæ restemq; sequuntur.*

CAP. XV,

Iuvita vita comus. pæmænire. Apulejus varie adnotatus.



Pulei de Asino libros ubi lectitamus reficit nos plurimùm & tenet jucundissimi sermocinatoris erudita pellacia. Maculæ tamen, qnæ sæpe & fæde intercurr unt, nonnihil offendunt. Aliquot hoc capite, si pote, Morboviam abigamus. Lib 2.

Quid cum capillis color & nitor splendidus illucet? Et contra solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet.

Labat in fine oratio nisi erigas & scribas, *placidus renidet.* Expressit alibi, *sic tuis istis micantibus oculis & rutilantibus buccis & renidentibus crinibus.* Sed leve idipsum; & puto occupatum. Sequitur lib. 6. de Psyches ærumnis:

Certe vel illic inventura vitæ pessimæ finem.

Quæ lectio à magno illo interprete est. Vetus refert, *invita vitæ pessimæ;* Quod Apulei existimem; & agnosco phrasim veterem. Dixit lib. 8. *Sed ægrè manibus erepta suorum invita remansit in vita.* At turbat nihilominus ita vox ista *pessimæ*, quam in *positura*, sive ad literarum reliquias plenius in *perpessura* mutem, ut talis exsurgat orationis forma; *Certè vel illic invitæ vitæ perpessura finem.* Arnobius, *Mortem nec ipsam perpeti succubuisset tanta si non agenda res esset.* Et Propertius, *Caucaseas etjam si pateremur aves.* Deinde supra libro 2. *Sunt prima hujusmodi divinationis experimenta,* Mallem ego, *Sunt priva hujusmodi,* sensu etjam non nolente. Iuvenal. *Sunt quædam vitiorum elementa.* Et Floridorum secundo ubi ajt, *lunam luminis solaris discipulam,* videtur dicere voluisse: *decipulam,* quod Luna à Sole lumen omne desumat, sive ut ipse loqui amat, decipiat. Porro libro sermonis Milesij 10. ubi

vulgò

vulgò editum: *Horæ pulcherrimæ, quæ jaculis floris ferti & soluti Deam suam propitiantes, scitißimum construxerunt chorum, dominæ voluptatum Veneris coma blandientes.* Ajt Schoppius lectionem eam etjam tacente se visurum quemvis esse corruptam, non item quomodo sananda, si vel maximè hanc veteris libri scripturam depromserit: *Veris como blandientes.* At eam ego ambabus accepto; & amo eruditissimum juvenem de tam fida lectionum talium suggestione. Super *como* verò quæ ex Festo & Glossario in Macrobianis Castigationibus annotavimus, hîc non itero; addi tantum ex Philostrato velim περὶ εἰκόνων, *Comum* esse saltationis & carminis genus, quod & tibiâ & fistula in comissationibus olim ob ebrietatem celebratum. Denique & herbaceum fasciculum exponi ab interpretibus Græcis; unde etjam κωμύδριον, ἡ μίκρα καὶ εὐτελὴς ποά. Videndus insuper libro de Comædiæ origine Iulius Cæsar Scaliger. Præcessit libro nono:

> *Nec, ille prostratus ac præventus volneribus, ullum reperire quiens saluti subsidium, quod solum restabat, simulabat se mortuum.*

Cogitavi olim ex mente Lucij haud incommodè rescribi posse, *ac præveniens vulneribus.* Nunc MS. reservare intelligo, *præmovens volneribus.* quod quid sit, ipsi qui adferunt, juxta mecum sciunt. Interim, quod posui prius, non abhorret à sensu. Itaq; repeto & lego: *ac præmæniens volneribus. Præmenire*, ut Plautus Cistellariâ, *admænire fabritas* & Pseudolo, *oppidum admænire.* Sed ipse Lucius paulò ante haud absimiliter: *Nec ille ut primum humi supinatus est, vel repugnare, vel omnino munire se potuit.* Porro *præmænire* translata hîc è militia dictio pro, mænibus munire veluti, ac protegere; quomodo *admænire* pro ad mænia admovere, adnotavit ad istud Comici adolescens doctus. Deniq; libro undecimo.

> *Seu Phœbi soror, quæ partu fetarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educasti.*

MS. retinet; *medelis lenicibus.* Legam totidem syllabis: *elicibus.*

Seneca

Seneca de Providentia: *Prout illas Lunare sidus elicuit.* Et Festus, *Egeriæ nimphæ sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere.* Horatius in carmine Seculari: *Rite maturos aperire partus, lenis Elithya Tuere matres, Sive tu Lucina probas vocari, sive Genitalis.* Dixerim fortaßis hic aliquid; Interim nihil præsto.

CAP. XVI.

De Petronij lectione suspicio. Ausonius emaculatus.


Rbitro Petronio excellentißima jamdiu ingenia & sententiâ suâ vitam à barbaris redimerunt, & limâ vigorem pro parte reddiderunt. Illud adhuc est de balneatione Eumolpi quod tenuit castigatores:

> *At ego ne mea quidem vestimenta ab officioso recepissem, nisi notorem dedissem.*

Disputant hic quid propriè *officiosus.* Ego mendum esse censeam, & legendum: *At ego ne mea quidem vestimenta ab officio solus recepissem, nisi notorem dedissem. Ab officio* interpretor post officium sive lavationem. Quâ voce usus ita alibi & sæpe Petronius, sed disertè interp. historiæ Apollonij in re pari: *Accepto ceromate docta manu circumlevit ei, deinde in solio fovit, & exeunte rege ab officio decessit.* Sed de Petronio post videbo; nunc Ausonij locus Epistolâ de occulta scribendi ratione ad Paulinum discutiendus est:

> *Lacte incide notas, arescens charta tenebit*
> *Semper? inauspicijs prodentur scripta favillis.*

Quæ implexa adeò & obnubila ut nec ipse illustret Phæbus. Erutum tamen alijs ex libro Veteri; *inaspicuis prodentur scripta favillis.* Quod quâ Voce probius, quâ sensu nihilo illustrius. Cui enim rei, *inaspicuis favillis?* quasi videlicet videri favillæ non posint, & ipsæ (quod nescio quis annotavit) etjam cææ sint. Verùm arcanum illud haud erit arcanum ultrà, si legas mecum:

Lacte

Lacte incide notas, arescens charta tenebit
Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.

CAP. XVII.

Epistola D. Cypriani ad Donatum ex libro sparsim recensita.



EST penes nos antiquæ & bonæ notæ, id est, manu exaratus Cæcilius Cyprianus. Eum per otium aliquando cum melioribus seu vulgaris editionibus contendimus diligentius; Sed, dij boni, *quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis!* Sed haud ille Achillis alicujus indutus exuvias at nescio theologastri cujus& suffeni, indocti, inficeti, haud digni deniq; qui præ illo palum figat in parietem. Sed de hoc alias. Nunc illud ad Donatum Epistolium, unde splendidæ, magnificæ ac jucundæ dictionis exemplum citavit Augustinus, cursim emaculare tentabimus:

> *Bene hic studia in aures damus, & cum in arbores & vites quas videmus, oblectante prospectu, oculos amænamus, animam simul & auditus instruit & pascit obtutus.*

Fædavit elegantissimum locum mala & mustea manus. Itaque Vetus: *& dum in arbores & in vites videmus.* Et statim:

> *In judicij contentione pro rostris opulenta facundia volubili ambitione jactetur, cum de domino etc.*

Exstat in eodem, *In judicijs, contione pro rostris.* Deinde ubi sequitur, *Qui impossibilis ajebam tanta conversio est, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel geminum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit.* Liber legit: *genuino situ.* Et ego amplius, *Quin impossibilis.* Continuè: *Nam & ipse quàm plurimis vitæ prioris horroribus*, Vetus, *erroribus.* Et statim: *Ociosa jactatio, quamvis jactatum possit esse sed granum.* Idem, *odiosa.* Paulo inferius:

> *Inde jam facultas datur castitate sobria, mente integra,*

Quot tumentium contumeliosa vestigia stipatus, clientium cuneis ante praecessit.

Liber, *stipatus in clientium cuneos.* atq; iterum: *Tunc rei familiaris exhausta damna cognoscuntur,* idem, *noscuntur.* Et statim; *Non cibus securus somnusve contingit*, legendum, *securo.* Atq; ibidem continuè, *Cum exonerare se possit & relevare, pergit magis fortunis angentibus incubare.* Liber dictione venusta & veteri, *fortunis augentibus incubare.* Cato in originibus: *complures ex agro accessitavere, eo res eorum auxit.*

Sed gratuitum de deo munus, religiosa mente concipitur & facile est, & ut sponte sol radiat dies illuminat, fons rigat, hymber irrorat, ita se spiritus caelestis infundit, postquam autorem suum caelum intuens divina cognovit, sole est ac omni terrena potestate sublimior; id esse incipit quod esse se credit

Locus quia insignior, sed hic glossematibus & aliàs faedè turpatus, producam quâ facie servatur in libro?

Et gratuitum de deo munus & facile est. Vt sponte sol radiat, fons rigat, imber irrorat, ita se spiritus caelestis infundit. Postquam autorem suum caelum intuens anima cognovit, sole altior & hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit quod esse se credit

Habemus denique sub finem: *Quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet.* liber: *qeem ille divitem mandatorum suorum fecerit.* Et statim, *Pingamus hanc domum, pingamus innocentia, illuminemus luce justitiae.* Eximiè MS. *Pingamus hanc domum pigmentis innocentia.* Et erant pluria, sed haec vel in gustum suffecerint.

CAP. XVIII.

Stare ad proram à se mutuum sumere. brumalis flos. Seneca variè emendatus.

Tardos siderum incessus si compares toti, citatissimos si cogites quanta.

Libri scripti, *si compotes toti*. Ex re & vero emendem, *si computes oclis*, quasi compendio scribendi corruptum. Idem Natural. Quæst, primo: *Quem velocissimum omnium esse scimus nemo nostrum videt moveri, nec ire crederemus, nisi appareret ivisse.* Et alibi, *Quid si quis velit non oculis sed tactu minuta discernere.* Epist. 104.

> *Vnus est hujus vitæ fluctuantis & turbidæ portus eventura contemnere, stare fidenter, apertè, tela fortunæ adverso pectore excipere.*

Ita asservit ex MS. uno rescribendum Pincianus. Et certè colorem aliquem pallenti antea loco dedit; sed colorem veluti plastes, non medicinam ut Machaon. Cujus si vicem rite huic ægro accedam, aliorum arbitrium sit. Facies loci olim & vetus fuit: *stare fidenter ad portum, tela fortunæ.* Non diu morabor. subvenio & lego, *stare fidenter ad proram.* Comparat hanc vitæ scenam turbanti navigio. Hic qui nec latitat nec tergiversatur, ille & victor & vir esto. Epist. 119.

> *Paratum tibi creditorem debo, Catonianum illud: à te mutuum sumes. Quantulumcunq; est satis erit si quicquid deerit id à nobis petierimus.*

Hæc à Mureto seu quocunq; tandem ordinata lectio Senecæ genuina germana est. Catonianum, inquam, creditorem intelligit pressum hoc probumq; monitum: *à te mutuum sumes*. Sequentia verò, *Quantulumcunq;* sententiæ severi viri diductio & interpretatio est, à Philosopho obiter submissa. Hoc si mihi non creditur ipsi credatur Senecæ. Scribit lib. de Benef. 5. M. Cato ajt: *Quod tibi deest, à te mutuare.* Nec erat hæc animus admonere, nisi seriò adeo adversari comperissem virum eruditum, velleq;, ut ajt, cum scriptis: *Catonianum illud à te mutuum sumes*, nempe, *Quantulumcunq;*. Sed non standum semper ineptis illis & addo, quà puncturis, insulsis sæpe incultisq; codicibus. Epist. 122.

Itaq; medico qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos per ambulat, ponit, sine ullo affectu facienda vitandaq; præcipiens, nihil amplius debeo; quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem.

Nam quod Duarenus acriter adeò receptam hanc lectionem defenset, ex eo est quod apud unum Alfenum de operis libertorum legerit, *si liberti medicinam non fecerint Medicus patronus plures imperantes habebit.* Quod tamen in arcessendo solùm aut simili re locum habeat ex vulgari & istâ olim formulâ: *Quoties operam meam desiderabis fidenter impera.* Hoc autem Philosophi loco ubi ægros medicus perambulare dicitur & facienda vitandaque sine ullo vel in hunc aut illum affectu præcipere, nihil etjam ei amplius deberi concludit Seneca, quia ægrum non tanquam amicum solatur aut aspicit, sed ut alium quem qui spe salutis obnixè atque obsequenter eum adprecatur. Facit perspicuè ad sensum istum Cæcilius Cyprianus libro de Mortalitate, ubi ajt: *An misereantur servorum languentium domini? an deprecantes ægros non deserant medici?* Et noster Saturnal. primo. Macrobius: *Obtinuit tamen ut cum salutem dari sibi precarentur ἰὴ παιὰν per η literam enuncient, id est, medere Pæan. Cum autem ἵε παιὰν per ε dicunt cum aspiratione prioris literæ; significant hoc dici in aliquem adversâ precatione.*

CAP. XX.

Octavia Senecæ non semel correcta. Item Furens & Thebais.



VIgatur Oeteo Versu 373.

Vnum feroci flamen intorquens manu.

Qnid est, *unum flamen?* Vitij manifesta lectio. Servabat liber, *utrumq;.* Fecerim ego: *tutum. Tutum flamen* appellat à quo nullum illi discrimen, quale fortassean à monstris. Vers. 722.

Et laxus

Et laxus tumor
In littore ipso spumat.

Scriptus codex, *lassus*. Provide reponam: *cassus*. *Cassum tumorem* capit infractum jam repulsumq; à littoribus impetum illum undarum. Vers. 1256.

Quæcunq; pestis sæva, quæcunq; effera es
Palam timeres.

Scribit ferè liber, *sive quæcunq; es fera*. probè. Sed è consequa lectione quid probi sensi elicere est? Codex ille non succurrebat; at alios tentasse video; *palam timori es*. Verùm id ad sententiam vix fecerit. In apertum enim & publicum veluti certamen hoc monstri, quod solis intestinis subdolè inhærebat, deposcit. Docent sequentia: *Quis tibi in medias locum fecit medullas.* Et statim:

Hanc tamen ad imos perferam laudem inclytam,
Quod nulla pestis vicit Acidem palam,
Omnemq; pestem vicit Alcides palam.

Itaque probabiliter hinc lego:

Quæcunq; pestis, sive quæcunq; es fera
Palam tumeres.

Tumeres aptissimâ hic voce. Iuvenalis: *cujus aceto, Cujus cerebro tumes?* Vers. 1364.

Non ipse terris major Oceanus meos
Franget vapores.

Quod haud repudiem. suspinionem tamen, quæ calide placet cum veniâ proferam: *stagnet vapores*. Ipsum vix sufficere retur oceanum, qui æstus istos refigeret, totosque inundet. Tacitus: *Tiberis omnia plana urbis stagnavit.* Habemus deinde Furente: Vers. 95.

Quâ mugit ingens montis oppositi specus:

Rectè Anglicanus; *Quam munit*. Et porrò præoptem, *montis oppositu*. In Thebaide, *impia arma matris oppositu impedi*, Vers. 773.

Ipso coa-

Ipso coactum navitam conto domat

Idem, *proprio coactum*. In Thyeste autē, ubi vulgò legitur Verſ. 9.

Quid famem fixam intimis
Agitas medullis.

Erat elegantiſsimè in Veteri: *famen infixam intimis accitas medullis.* Medeâ, *spiritum ex alto citat.* Verſ 460.

Nec fumant manu
Succensa multa ſtagna.

Gymnaſium interpretum is locus. Dilucidus tamen & rectus, niſi quod evariet leviter liber: *Nec fumant ſtagna ſuccenſa multâ flammâ.* Altexam ex Thębaide paucula. Verſ. 16.

Sylvamq; opacæ vallis inſtinctas Deo
Egit ſorores mater.

Cenſeo recipiendam meliorum codicum ſcripturam: *inſtructas Deo.* Noſter quoq; fidelisſimè ſic præferebat, paretq; innuere poetam, habitu eas fuiſſe ad faciendum Baccho. Verſ. 18.

Hac parte mortem perage, qua cæpi mori.

Semet veluti alium alloquitur Oedipus. Itaq; malim, *quâ cæpſti mori. Cæpſti* pro *cæpiſti.* In Cantabrigienſi ob raſuram finalis ſyllabæ nequijt ea vox liquidò legi. Interim conjectura probabilis eſt. Verſ. 575.

Vt adulta virgo miſta captivo gregi
Thebana nuribus munus Argolicis eat.

Vetus, *Thebana maribus,* ſuo quoq; nec inepto ſenſu, niſi ſi fuerit, *matribus.* At *nurus* ſæpe pro ſexu accipitur: Martialis: *Atq; inter latias gloria prima nurus.* Verſ. 488.


Ego utrumq;, ſed pro utroq;, quid ſtrictum
abnuis recondere enſem?

Placet magis, *ſi pro utroq; quid ſtrictum,* & ita liber. deinde verſ. 627. *licet omne tecum Graciæ robur trahas,* Idem *Regiæ robur.*

FINIS.

L Johan.





IOHAN. I I PONTANI.

ANALECTORVM LIBRI TERTII

CAPVT I.

In Tacito ſpicilegium.



Ornelium Tacitum nunquam ſatis, quà judicio quà fide laudatum hiſtoricum, eximiè & feriò cenſum noſtra videt & gaudet ætas. Et tamen ex tam grandi dumorum acervo reliquiarum veluti reliquias ſuperare vel paucas non negabit, ſcio, cui familiarior ille Scriptor. Dabo hoc capite, ſed ſparſim, in exemplum aliquot, & maximè ſuper quis vel diſputetur hodieq; vel conclamatum eſt. Minore ſcilicet rubore, ſi fallar in aleâ quæ tantos eluſit veteranos. Lib. XIII. Annal.

> *Donec vi amoris ſubactus exueret obſequium in matrem Senecæq; permitteret*

Abſit ut Senecæ ſanctum mihi nomen iſtis immiſceam. Abnuunt quoq; libri, quorum Farneſcamus, *ſeq. neci permitteret.* Vaticanus, *ſeq, permitteret;* ſuperpicto, *neci*. Niſi valde halucinor debuit ſcribi, *Actæ.* ut eſſet, *ſeq, Actæ permitteret,* Tandem, inquit: Nero Agrippinæ matri, cui odioſus ejus amor, obſequium omne negavit, dediditq; ſe totum amatæ ſibi Actæ. Lib. 1. hiſtor. ſub initium:

> *Opus aggredior plenum varijs caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſævum.*

Suppoſita

Suppoſita planè & ſpuria hæc ſcriptura. Vaticanus, uti fidè ſubmonuit CL. Lipſius, præferebat: *opus aggredior opibus caſibus*. Hinc alij; *opimum*, quod etjam in Ramano antiquitus cuſo legitur. Ipſi Lipſio placuit, *opulens caſibus*. Neutrum judicio meo rectè. Vetus ſcribendi ratio turbas hîc dedit, ſcioque pictum primitus, *obbijs*, unde imperiti, *opibus* extuderunt, cum debuiſſent, *obvijs*. Facilis jam depoſiti loci reſtitutio, ita: *Opus aggredior obvijs caſibus atrox, prælijs diſcors, ſeditionibus, ipſa etjam pace ſævum.* Aptius etjam epithetum *diſcors* cum *prælijs* jam connectitur. Præliorum enim diſcordiam notare voluit, quod res & hiſtoria tota depoſcit. *Seditionibus* autem *ſævum* rectè copulatur; nam propriè ſeditiones ſævire dicimus. Infrà: *ſi ſeditio miteſceret.* Lucanus deniq; lib. primo: *Infeſtisq; obvia ſignis ſigna.* Lib. 3. Hiſtoriar.

> *Quin ut cenſuram patris, ut tres conſulatus ut tot egregiæ domus honores deceret, deſparatione ſaltem in audaciam cingeretur.*

Turbat ſententiam immiſſa dictio, *deceret.* Servat editio Romana, *degeret*. Amplector Tacito dignißimam vocem. Capienda autem ea hîc ἀρχαικῶς pro diminuere vel extenuare. Plautus, *Ego hunc ſoror laborem degam ac diminuam tibi.* Et ut hic *honores degere* Tacitus, ita Apulejus Apologiâ, *degere peccata* eleganter poſuit. *Semper*, inquit, *Potius duxi mea peccata degere, quam aliena indagare.* Lib. VI. Annal.

> *Immanem animum ſubdolâ modeſtiâ tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum ruptâ voce, qualem diem Tiberius induiſſet, pari habitu, haud multum diſtantibus verbis.*

Tranſpoſitus depoſituſq; Lipſio judice locus. Attollere tamen niſus fuerat Vertranius: *qualem die Tiberius. die* ut eſſet, *quoq; die*. Sed eſt hoc quod dicunt Græci, πλὴν ᾧ πλήσιον καλαίσαι. Puto diducta leviter compendiaria ſcriptione, ſerenatum hoc omne nubilum: *qualem diceret Tiberius.* Talem, inquit, ſe

Tiberio præbuit & animo & verbis Cæsar Caligula, qualem omninò simili casu ipsum imaginor Tiberium. Vel deniq; *dicem* pictum antiquè fuit, pro, *dicam*. Veteres enim *faciem*, *dicem*, pro *faciam*, *dicam*, scripsisse Fabius annotavit. Deniq; lib. 5. Histor. in tenebris adhuc illustris de Mose locus:

> *Sed sibimet ut duci cælesti crederent, primo cujus auxilio credentes præsentes miserias pepulissent.*

Istud, *credentes* glossematium esse alijs dudum monitum. Cetera ex re & mente Taciti necessariò elicio & lego: *privo cujus auxilio præsentes*. De voce eâ videnda quæ observata nobis superius cap. 14. lib. 1.

CAP. II.

Plautus Mostellaria & Menæchmis emendatus.
Frutex. nunc pòst.



Frutex veteribus inter contumeliæ verba fuisse, facile intelligere fuit ex illis Plauti verbis Mostellariâ scena: *Exi è culina*:

> *Nec verisimile loqueris nec verum, frutex,*

At propriè & signatè rusticanos agrestesq; istâ insignitos voce, qui annotaverit nondum vidi, licet id intellectu pariter haud difficilè fuerit ex illâ Grumionis responsione:

> *Tu urbanus verò scurra, deliciæ popli*
> *Rus mihi tu objectas?*

Hoc cum ità se habeat commodè se offert Apulei locus, quem de hoc Plauti adumbratum apponam etjam, ut rectè percipiatur tamen. Ajt Apologiâ pro se:

> *At hoc ego Æmiliano, non huic Afro, sed illi Africano & Numantino & prœterea Censorino, vix credidissem; ne huic frutici credam non modo odium peccatorum, sed saltem intellectum inesse.*

Rustici-

Rusticitatem mentis exprobat Æmilano alludens aratro & bubulcitationi perpetuò assuetum. Eâdem Apol. *Æmilianus vir ultra Virgilianos opiliones & bubsequas rusticanus, agrestis quidem semper & barbarus, longe austerior, ut putat, Serranis & Curijs.* Et statim: *Quem tu librum Æmiliane, si nosces: ac non modo campo & glebis, verùm etjam abaco & pulvisculo te dedisses, mihi istud crede, quamquam teterrimum os tuum minimum à Thyesta Tragico demutet, tamen profectò discendi cupidine, speculum inviseres: & aliquando, relicto aratro, mirarere tot in facie tuâ sulcos rugarum.* Sed hæc fortassis nimia. Sequitur eâdem Mostellariâ. sc. *Recordatus.*

Nunc postq; nihili sum, id verò meopte ingenio repperi.

Vbi liquidò erratum; & restituere Lambinus molitus nescio quid inficetius protulit: *Nunc in posterum.* Itaq; ad lectionem veterem confugiendum quæ retinet: *Nunc postquàm.* Perspicuè verum est: *Nunc pòst quàm nihili sum! id verò. Nunc pòst*, quomodo *paulò pòst, multò pòst* & talia. Coalverunt imperitè voces, quę erāt dispescēdę. Nec aliud turbavit Menęchmis, Sc. *Si volis.*

O salve insperate multis annis, postquam conspicor.

Venustissimè enim similiter emendabamus: *multis annis pòst quem conspicor.* Nam prærterquàm quod pendeat aliàs sententia, liquidò hanc medicinam deposcit sequens responsus: *Et tu, quem ego multis miserisq; laboribus usq; adhuc quæsivi.* Deniq; dictionem extulit primo de re Rus. Varro: *Ad cujus libros tot annis pòst publice solemus redire.*

CAP. III.

Celerè, similè, pro celeriter & similiter.
Tibullus emaculatus & Vlpianus.



Ibulli versus est lib. 4. de infamia suæ amatæ:

Crimina non hæc sunt nostro sine ficta dolore,
Quid miserum torques? rumor acerbe tace.

In libris calamo exaratis legi comperio: *sine facta dolore.* Vnde non

de non vanè rescribendum auguror, *sine jacta dolore. Jacere crimina*, ut Propertius: *Non bonà de nobis crimina ficta jacis*, & alibi, *In nostrum jacies verba superba caput.* Deinde lib. 1. eleg. 5. ubi vulgò legitur:

> *At tu, qui potior nunc es mea furta caveto,*
> *Versatur celeri fors levis orbe rotæ.*

Repperit in Excerptis, Europæ ocellus Scaliger: *orbe cito.* quod & explicat aptissimè ad poetæ mentem. At turbat interim dictio, *celeri.* Non ambigam quin ex antiquâ porrò normâ scriptum Tibullo.

> *Versatur celerè fors levis orbe cito.*

Celerè, est, *celeriter.* Diomedes, *largiter dicunt quod nos largè, celerè & celeriter.* Et Nævius, *celerè subveni censori.* Nec tempero mihi quin hac occasione divinatiunculam subseram ex Fragmentis Iurisconsultorum, quæ dedit aliquando doctissimus P. Pythæus, Ajt ibi Vlpianus lib. 7. de off. Proconf. *Denique exstat. S. C. Pomponio & Rufo coss. factum, quo cavetur, uti Mathematicis, chaldæis, ariolis, & cæteris qui similem incertum fecerunt, aquâ & igni interdicatur, omniaque bona publicentur etc.* Clarum erratum in verbis, *& ceteris qui similem incertum fecerunt.* Censuerat emendandū Pythæus *similem artem*, Lipsius, *similem cestum* sive, *quæstum.* Fecerim ego vix ulla mutatione, *& ceteris qui similè in incertum ferunt. Ferunt* ἀχςαἰκῶς pro *feruntur. Similè* autem pro *similiter*, ut *celerè*, quod jam indicatum est, pro *celeriter*, Apulejus aliquoties extulit. Imò & ipse dicendi cynosura Cicero: *Similè vos, cum perturbare ut illi rempub. sic vos philosophiam bene jam constitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum proferitis.* Estat 2. Academ. Porrò Vlpiani quia mentio incidit non præteribo quid censeam super loco qui jamdiu torsit interpretes *l. si uxor de adulteriis.* Ajt Vlpianus.

> *In ea uxore, potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit, quamvis si vidua esset, impunè in eâ stuprum committeretur.*

Dubi-

Dubitari probiliter poteſt, inquit Alciatus, quæ *vulgaris uxor* dici poſsit. Accurſius meretricem intellexit: quæ ſententia dura, ut adulterij pæna tenatur qui meretricem vitiarit: cur enim permittit maritus eam quæſtum facere? Ego *vulgarem* potius intelligo, ex adventitio vulgo, non ex cive Romana. Hæc Alciatus lib. 2. cap. 40. Parerg. At animo meo illa verba, *quæ vulgaris fuerit*, accipienda de fæmina quæ ante connubium ſe vulgò & ſolens vulgaverit. Et id ſequentia iſta: *quamvis vidua ſi eſſet, impunè in eâ ſtuprum committeretur*, manifeſtò convincant. Quibus addo Accurſium ſimiliter (quod miror Alciato non arreptum) ſenſiſſe, ubi ſcribit porrò, *vel dic, quæ vulgaris eſſe deſijt & virum accepit.* Cujus nos etjam admonuit Amicus noſter juvenis eruditiſsimus Dominicus Arumæus, qui hac juvenali ætate vaſtum iſtud juris oceanum navigans ſolerter ac gnavè dirigit ad Prudentiæ portum.

CAP. IV.

Seneca Rhetor aliquammultis locis fide libri emaculatus.

VEnêre in manus meas, dum in Angliâ degimus, interrupta quædam Controverſiarum Senecæ Excerpta. Sed utinam non excerpta iſta fuiſſent, ſed integrum Autoris opuſculum! ità ſubinde loca, ad quæ caligare videbamur, clarè ſerenabant; ità cum melioribus Gruteri notationibus paria faciebant ſæpius, & ſæpicule majora. Exemplo depromam hæc pauca.

Procemio libri I.

Aliquando etjam ſeriam rem agenti & occupato.

Rectè quidem. In membranis tamen iſtis erat: *ſerioſam rem.*

Vt ad ſummum perducta, rurſus ad infimum, velocius quidem quàm aſſenderant, relabuntur.

Nec

Nec id sugillem. Sed cum in excerptis reperiam, *refellantur*, omninò malim, *revellantur*. Comparantur enim inter se, *ad summum perduci* &, *ad infimum revelli*. Et Fortuna abire, redire; attollere se & deprimere dicitur. Idem Controvers. I. *quos provexerat fortuna, destituit.* Virgil.

Multos alterna revisens.
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit.

Vox robusta, sed sordida lucubrationibus,
& negligentia non natura infuscata.

In ijsdem erat, *vox robusta lucubrationibus.* quod tamen nondum propugno:

Vt quod palam aures offensurum esset, si palam
diceretur, id obliquè & furtim surreperet.

Scriptum; *surriperet*: nec refello. Controvers. I.

Alteri filius erat: patruus in egestatem incidit.

Clarius & auctius membranæ, *patruus illius egestatem.* statim:

Quid non timendum felicibus putas? quid
desperandum infelicibus.

Quod in ijsdem reperio, præoptem: *quid non sperandum infelicibus.* Procemio lib. 2.

Ab hac cito se Fabianus seperavit.

Temperavit, vetus, nec sperno. deinde:

Nec est quod insidias putes tibi fieri, quasi id
agam, ut te bene cedentis studij labor teneat.

Fateor prævalere mihi longè scripturam veterem: *ut bene tibi cedentis studij labor teneatur.* Non, inquit, hoc ago, ut optimè tibi procedentis studij cursus sistatur. Nam subdit: *Ego verò non sum bonæ mentis impedimentum: perge quo inclinat animus etc.*

Ego quoq. aliquando ejus processus avidus & hortator laudatorq., vel periculosæ dum honestæ modo, industriæ, duobus filijs navigantibus, te in portu retineo.

In ex-

In excerptis comparebant verba, *vel periculosæ, dum honestæ modo, industriæ.* Et videtur ad eorum exemplum scribendum hoc modo, *Ego quoq; alterius processus avidus, & hortator laudatorq;, duobus filijs navigantibus, te in portu retineo:* Deinde quod paulo superius editur; *omnium bonarum artium capacissimum est: & hoc ipsum melioris ingenij pignus,* omnino refingendum cum libro, *Capacissimum. est & hoc.* statim.

Et ego multo minorem natu quàm ipse erat,

Deficiebat in ijsdem vox quarta, habebantq; *Et ego tanto natu quàm ipse erat.* A secunda tamen & recenti manu appictum vidi, *minor.* Sed si cerebrum illi scribæ pro stilo fuisset, non *minor* sed *major* debuisset, quomodo exacte demonstravit super ætate hujus lenis clariss. Lipsius. Plura erant hoc libro, at singula in unum accumulare, non hujus loci. Sequitur Procemium lib. 3.

Nihil in quo auditor aliud ageret

Imo contrarium verum est: *in quo non auditor.* & ita liber. Probant quæ præcedunt quæ sequuntur.

Adeo nunquam ullam materiam dicendi, nisi in periculis suis, habuit.

Vetus, *adeo nunquam rem nullam materiam.* Rectum puto, si scribatur, *rem ullam* Deniq: sub finem: *Non enim hæc ille optimè dixit sed hæc optimè teneo,* bene inseretur ex eodem, *sed hæc ego.* Controvers. 2.

Quidam filium accusavit parricidij æquis sententijs absolutum abdicat.

Scriptum servat, *quem etjam æquis,* plenius meliusque. Controvers. 3.

Quidam habuit filium frugi & luxuriosum.

Præfero quod est in veteri: *habuit duos filios frugi & lux.* Et consequenter: *Vtriq; gratias agere debet. Frater me isti reduxit: ego isti fratrem.* In eodem: *ego isti filium.* Capio & amplector. Controversia 6.

Præmio accepto, agit cum illo dominus damni.

Immittunt necessariam vocem membranæ: *domus dominus.* Ædium, inquit, incensarum possessor egit, cum incensore, damni & injuriarum. Controvers. 9.

Quid enim voluit, qui venenum petiit?

Auctior scriptura prisca, *Quid enim non voluit.* Ex re & vero. Quid, inquit, ille non concupisceret, qui venenum concupivit. Sed ne prolixior hîc sim, transilio ad decimi libri præfationem, &, paucis delibatis, signabo hoc caput. Ajt sub initium,

Cum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

Quid statuam, hæreo, disertè tamen in scripto legitur, *sed in soceri efferrent.* Consequenter.

Quanta in illis libertas fuit, quam etjam Labienus extinuit? Cassij severi hominis Labieno junctiss.

Non est quò rectè referas, *in illis.* Itaq; fidenter cum veteri rescribo, *Quanta illi libertas.* Cassio hanc libertatem attribuit, cujus dictum de amici sui Labîeni libris hoc ajt circumlatum, *Nunc me vivum uri oportet, qui illos edidici.*

Multum habuit ingenij, nihil cordis,

In eodem est, *minus cordis.* quod videtur reducendum. Martialis, *Accipe cor quod abest.*

Sed Turrinus Clodius multum de viribus remiserat, dum Appollodorum sequitur, & summam legem dicendi eum putat.

Hic locus vix sine scripturâ restituatur adeo probabili fuco obvelatus est. Itaq; membranæ: *& ad summam legem dicendi se amputat.* Et hoc χρύσεα χαλκείων.

CAP.

CAP. V.

Apulei mundus maculâ abstersus.
Livius correctus.

PLurima in veterum scriptis legere est, quæ ità sensim solidata informataq; sunt, ut sine MSS. ope, vel ipsi Lynceo glaucomam objiciant. Adeò, inquam, scabitudo illa fuco & lenocinijs decenter & ad speciem delibuta, ut ubi vulnus etjam ingens fuerit, cicatricem non invenias. Tale ferè occurrit Apulei de Mundo, quod, absq; codice fuisset, hactenus securè præteriretur. Verba sunt:

> *Quare sic putandum est, cum maximè majestatem retinere, si ipse in alto resideat loco.*

Aperuit ineptias lectionis Vulcani vetus, qui habet: *in alto resideat altissimo.* Hoc cum scirem, subitò mihi correctio enata: *in aulæo resideat altissimo.* Et placuit placetq; seriò, præsertim ubi mundum sive cælum superius paulò *aulam* nuncupatum Lucio memineram. Dixit: *Igitur regnum illud ita componi oportet cum mundi aula, ut inter se etc.* In aulis autem aulæa regibus seorsim usitata antiquitus, Isidorus explanat: *Aulæa*, inquit, *vela picta & grandia, quæ ideo aulæa dicta sunt, quod primum in aula Attali regis Asiæ, cui successit populus Romanus, inventa sunt.* Maro significantius:

> *Cum venit, aulæis jam se regina superbis*
> *Aurea composuit spondâ, mediamq; locavit.*

Superbis, inquit, *aulæis*, quod hic, *aulæo altissimo.* Apta itaque orationis imagine Apulejus cælum *aulam*, cæliq. seclusum ac summum *aulæum altissimum* dixit, utpote in quo Deus semotus ab humanis oculis per Solem Lunamq; & cetera cælestia ministeria, mundi habenas constanter temperet.

Caput hoc obsignabo Liviano loco, qui in vulgatis pertinaciter ad hanc formam concipitur: Lib. XXVII.

> *Inter multas magnasq; res, quæ nunc secundæ, nunc*

adversæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria.

Et quis in tam floridis ac fluentibus verbis de maculâ vel suspicari sustinuisset, nisi in veteri invenisset vir doctus: *ceculabat cogitationes?* Quod tamen ipsum quid sit illum latet. Ego levem medicinam desiderari existimem, faciendumq; *occultabant cogitationes.* Cæcilius, *Opulento famam facilè occultat factio.* Probum id esse tàm in proclivi est, quàm imber quando pluit.

CAP. VI.

Cieri. supercieri. Agellius ta'i voce auctus. in Senecam suspiciones.



VARIÆ & antiquæ eruditionis plenus est Agellius. Ejus lib. XIIII. cap. 1. insignis super Astrologiâ dissertatiuncula, ac pura profluensq; oratio, ita me cepit, ut eam & relegere identidem, & quicquam etjam, ut mihi visum est, lolij selegere ac runcare non piguerit. Scribunt omnes, quot vidi, codices,

Easdem igitur stellæ per quas omnia divina humanaq; fieri contendunt.

Vbi *fieri* asciticium in hac areâ videtur, & autorem ipsum insevisse primitus; *cieri*, lepidâ nempe metaphora à cælestium orbiculari motu, ad quem negotia quoq; humana agi aptariq; notarentur. Quod Agellium velle clarè evincunt hæc præmissa. *Vt crederemus omnia rerum humanarum, & parva & maxima, tanquam stellis atq; sideribus evincta duci ac regi.* Deniq, genuinam esse vocem quam innui, manifestum erit ex periodi totius filo, quam, ut corrigendam jam censui plenius appingam, *Eas iam igitur stellæ per quas divina humanaq; cieri contendunt: sicuti ne ea quæquaq; pruinas aut calores cient, Sed mutant & variant.* ubi liquidò patiendi vox in agendi, necessariò & venustè iteratur. Hinc verisimile fit lib. IX. cap. VII. etjam faciendum:

Et quæ

Et quæ pars eorum fuerat inferior atq; occultior, eam supercieri.

Suprafieri tamen in cusis est, in scripto uno *superfieri*: sed qui producunt, de bonitate leviter faciunt fidem. Addam ex Senecâ. Epist. 117.

Possum autem superior esse, si fecero omne quod disco

Ità quidem alias legi annotavit Erasmi margo. Editio ejus habet, *si dixero omne*; uti esse in MSS. suis quatuor admonuit sedulò Gruterus. Quintum cum plerisq; Pinciani facere ait, in quis: *si direxero*. Hoc arripio credoq; scriptum: *si direxero eò omne quod disco*. Tunc ego, inquit, verè vir, verè philosophus si eò omnem ex studijs frugem impendero, ut sapientiam non disputem solùm, sed operer: Vt fortunam non verbis, sed factis supergrediar.

Epist. CIX.

Adhuc medico mihi opus est. Quid me doces scientiam inutilem?

Manifestò hæc à librarijs infarta lectio. In scriptis omnibus legi intelligo: *quid me posces, sive, poscis*. Hoc cum parum illis ad rem visum, pro libidine suâ liberaliter interpolarunt, feceruntq;, *doces*, eliminatâ voce turbatrice. At, nobis non licet esse tam disertis, malumusq; adjuta leviter dictione veteri: *Quid me pascis scientiâ inutili?* Et id verum est: Quid cibo inquit, fulcire cogitas debilem hunc crudumq; stomachum, cum medicina potius præmuniendus sit, ac fomentis?

CAP. VII.

Tecti fluctus Livea species. Liventia commissa. Manilius aliquoties emaculatus.



Anilij libro Astronomicω̃ secundo, versus sunt:

Hanc quoq; convexi molem sine fine parentis.

 & lib.

& lib. III.

Et frænare ratem fluctusq; effindere rectos.

Sed clarum erratum in voce *parentis*. Puto, rectè correxi: *Hanc quoq; convexi molem sine fine patentis.* Nam *perennis*, quod alij innuunt, nescio an cum *sine fine* componi honeste posit. Alterum sic formavi: *Et frænare ratem fluctusq; effindere tectos.* Ambigit Scaliger án scribendum *rostro*. Ego *tectos fluctus* eleganter Manilio dictos existimo, qui tacitè & quasi ex insidijs obliquè ingruunt. Hos autem secare ritè ac declinare doctum ac deditum fore sub piscibus natum, canit Poeta. Deniq; utrobiq; causa labis fuit *t*. in *r*. pronus lapsus. Deinde libro primo,

> *Et quò clara magis possis cognoscere signa*
> *Ignea designat species atq; ignibus ignes Respondent.*

Præferunt ità recenter vulgati. Habent MSS. & Romanus: *Linea designat species.* Sed cedo, quis hoc Oedipus expediet? Odoror duplex vitium. Primum lego: *Livea designat species.* deinde, *ad quam ignibus ignes.* *Livea species*, quomodo infra: *cæruleam verso speciem mutasse colore.* Et alibi: *Candidus in nigro lucet sic limes Olimpo?* ubi *cæruleum* & *nigrum* idem est quod hîc *liveum* sive *lividum*. Deniq; *ad quam* posui pro *atq;*, & valebit antiquè, *propter quam*. Propertius: *panditur ad nullas janua nigra preces*. Ajt itaq; existere siderum statam proportionem & splendorem, ob æquabilem illum & circumfusum cæli livorem. Hæc fere vox iterum turbavit libro V.

> *Qui commissa suis rimabitur argumentis,*
> *In lucemq; trahet, tacitâ licentia fraude.*

Vbi vir doctus, nisi refingendum, *tacitâq; silentia fraude*, quid reponendum sit, non h bere se ingenue agnoscit. Ego verò vix ambigo, quin fuerit: *tacitâ liventia fraude*. Hoc propius vulgatum nec inserta particula q; sistit sententiæ cursum. *Liventia autem commissa* sunt crepera quædam facinora, & necdum satis manifesta; ideoq; ajt *in lucemq; trahet.* Facit fidem, Prudentius, *Delicta tergens livida.*

CAP.

CAP. VIII.

Reciprocare, impatientia, Valerius Maximus glossemate purgatus. Variè correctus.

REdeo aliquando ad Valerium. de quo jure sic censeo: Esse Scriptorem in antiquis laudabilem, sed qui ità glossis oblitus insperusq; sit, ut ambigam an ullus magis. Fecit id variorum magistellorum ἀπειρία & ruditas quorum si pessimas latuisset manus, plurima hodieq; antiquitatis superarent vestigia, quæ nunc ex blattarijs codicibus laboriosè veniunt subodoranda. Ego hac quidem classe non legitimam censuram instituam, sed ea tantum, quæ inter criticos controversa & ambigua sunt proferam: Et obiter aperiam quàm sæpe, ἀκυρία . . . σατο prior ille & diligens aliàs doctusq; censor. lib. 4. cap. 3.

> *A servis vix impetrare potest, ne eam supellectilem fastidiant, quâ tunc consul uti non erubuit*

Ita edidit quorundam codicum suorum exemplo Pighius. At clarum glossema istud, *uti*. Scribamus itaq; cum Anglicano, *quam tunc consul non erubuit*. sive, *quâ tunc consul*. Seneca: *qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriatur.* lib. 5. cap. 7.

> *Et spiritum increbrescere, eâq; egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit.*

Damno. Si enim ingrediente eâ invaluerint, ut ipse disertè narrat, & redierint animi illi sopiti spiritus, necessariò, eâdem egrediente, non excitatiorem anhelitum recuperavit, sed is potius paulatim remisit. Et hoc Valerium voluisse manifestò etjam suggerit vox *pallere*. Quocirca jure quâ sensu quâ verbis damnavi, &, absq; ambitione dixero, insigniter interim restitui: *& excitatiorem anhelitum subinde reciprocare animadvertit.* Reciprocare, ἀντιστρέφειν. lib. 6. cap. 6.

Ingenti

Ingenti Pænorum classe circa Siciliam devicta.

Ita reposuit ex duobus MSS Pighius, cum antea legeretur: *deducta*, quod in utroq; etjam Anglicano reperio. Et profectò: si planè devicta Pænorum classis, cur de pace nihilominus & tam cunctanter egisse eos scribit? cogitatio me prehendit scripsisse Valerium: *circa Siciliam diducta*. id est, dissipatâ, conquassata. Cap. 7.

> *Vt cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit: ne domitorem orbis Africanum fæmina impudicitiæ reum ageret.*

Impudicitiæ vox noviter hic intrusa, & neutiquam convenit. Vetustissimi omnes libri, & scripti mordicus servant, *impatientiæ*. Sed nec id aptari sententiæ Valerianæ potest. Clarissimo Belgarum Lipsio, proba omnino correctio videbatur: *impotentiæ*; mihi probabilis; & audeam affirmare scriptum Valerio: *imparientiæ reum ageret. Imparientiæ*, id est, inobsequentiæ & veluti perfidiæ conjugalis. Restituit hoc verbi in Codice Iustinianæo Iacobus Cujacius quem vide Observat. lib. 1. cap. VI. Et ipsum Lipsium 2. Electorum, qui Agellio redonavit. Lib. 8. cap. 7.

> *Namq; tali incommodo perculsi secessum petunt, duplicantq; tenebras, fortuitis voluntarias adijcientes.*

Pighius iterum hic turbellas dat. Legebatur antea: *Namq; tali incommodo perculsi secessum petunt, duplicant*, sine copulæ adjectione. Et eæ vetustæ lectionis vestigia etjam in utroq; Anglicano custodiuntur. Ego ex ijs acutam & Valerio dignam sententiam elicio: *Nam qui tali incommodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras, fortuitis voluntarias adjicientes.* Homines inquit, luminibus orbati, si secessum ac secretum eligunt, duplicant calamitatem, fortuitæ adjicientes voluntariam. Ea Valerij vera mens, & miror viris eruditis languida illa & hiulca ita placuisse ut tollerent etjam in contextum.

CAP.

CAP. IX.

Ventus. adducere. victus. aliquot in Propertium censuræ. in Catullum una.

PRopertij pluria quædam supra recensui & fortean certiora. Restant ambigua aliqua & levia, de quis coronidis vicem hic disputare constitui, & operam hanc libens impendere optimo poetarum. lib. 1 Eleg. VI.

Osculaq; opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro.

Proverbium sibi nusquam animadversum admonuit peritissimus Castigator. Ego insuper cum lectionum inconstantiam videam, vitiosum esse persuadeor: Servat quorundam codicum ora, *idedita vento*. Fecero:

Osculaq; opposito dicat sibi didita vento.

Opposito vento, ut sit, veste sive velamine tenui. Loquitur in hunc fere modum infra: *dixit & opposità propellens suavia dextrâ.* *Opposità dextrâ*, quomodo hic, *opposito vento*. *Ventum* autem eâ notione extulit quoq; Tibullus lib. III. *Post hæc carbaseis humorem tollere ventis.* Et Petronius; *æquum est induere nuptam ventum textilem.* Vel deniq; cogitemus an *ventum* cum Plauto capiendum pro, *ventulo*. Curculione: CV. *obsecro hercule facite ventum ut gaudeam.* PH. *maximè*. CV. *Quid facitis quæso?* PH. *ventum.* CV. *nolo equidem mihi fieri ventulum.* Sed hoc forte sit dimicare in tenebris, ut cum omnia fecero, fiat illud: mihi non liquet. Est deinde Eleg. II.

Nostri cura subit memores abducere noctes.

Reposuit clarissimus censor Scaliger *ab ducere*, cum minus ipsi sincera videretur scriptura libri: *adducere*, quam tamen vix est ut spernam. *Adducere noctes* pro contrahere & conjungere poni paret, quomodo *diducere* pro disjungere & dividere positum sæpicule. Infra; *Non ego complexus potui diducere vestros.*

Iterum. *Quamvis diducere amantes Non queat invitos Iupiter ipse duos.* Hæret deniq; leviculum, ut puto, mendum Eleg. XVII.

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

Nam *cara* rectum censeo, non *rara.* lib. 2. *Eripitur nobis jam pridem cara puella.* Et Tibullus, *Perfida sed quamvis perfida, cara tamen.* Finiam, si addidero restitutionem illam loci Catulliani in carmine super Pelei nuptijs similem vero videri, vix veram. Vulgatur:

Quine fugit lentos incurvans gurgite remos.

Nam vox *lentos*, quæ formata ex priscâ scripturâ *vetitos*, si sententiam videas, tolerabilis; si vetustæ lectionis vestigia, libera nimis & vaga. Fecero idcirco & elementis & mente fortean volentioribus: *vietos incurvans. vietus,* πωςετός. Vnde vimina & vasa viminea Festo.

CAP. X.

Summare. Apulejus & Plautus aliquoties emaculati. Livius semel.

NON ambigo quin has perambulans vetusti ævi tenebras, sepiusculè incurram, offendam; & acri cupidine depromere verum inflammatus, ejus solummodò specie deliniar. Sed solatio fuerit quod id cum summis etjam viris commune mihi; nec illis tantùm, sed magnis quoque vatibus, Nam non semper, ut inquit ille, vates verant. Quare, hoc quicquid est, eventus signabit: Habemus Apulei lib. de Asin. 5.

Sic allocuta; summas opes domus aureæ locumq; servientium populosam familiam auribus earum, lavacroq; pulcherrimo, & inhumanæ mensæ lautitijs eas opiparè reficit.

Vetat doctor noster Hippocrates, desperatis adhibere medicinam. Assentior. Sed interim conclamatos aliquando contingit esse superstites conclamantibus. Et id super hoc

Apulei loco fortaſſe verum ſit; qui jam diu legitimâ medicinâ ſepoſitâ, temerario varioq; ferro & tortus & ſectus eſt. Bene itaq; illum, qui ex orci limine revocavit ad vitam. Repertum in libro Veteri. *Sic allocuta; ſummas opes domus aureæ, vocumq; ſervientium populoſam familiam auribus earum demonſtrat, lavacroq;.* Sed ſi damnus quod ajt poeta; *Non eſt vivere, ſed valere vita,* vivet quidem ſic locus, at non valebit. Quo enim pacto iſtas ſive opes ſive divitias etjam auribus earum demonſtraverit Pſyche? Sed ecce literula immutante res clarior: *Sic allocuta; ſummat opes domus aureæ, vocumq; etc.* Summare propria hoc loco dictio, & valet quod cenſere ſive æſtimare, quomodo in re fere parili locutus Martialis: *Et totam licet æſtimare Romam.* Vitruvius compoſitum exrulit lib. 1. *Per arithmeticam ſumptus ædificiorum conſummantur.* At objiciat non ineptè hîc quiſpiam quid hæc Vitruvij ſolius teſtimonio roborem, cum Apuleium Plauti eſſe æmulum in confeſſo ſit. Fateor id, & iſtuc ibam. Sed, ut nunc res ſunt, Plautum cuivis ſuper hoc verbi de induſtria perluſtrandum dabo, nihili ſum ſi uſpiam inveniat. Ego tamen inveniſſe videor, imò eruiſſe potius, & quidem geminis locis. Trinummo reperio:

Non tibi illud apparere, ſi ſumas, poteſt,

Interpres quod hæc prætervolet, non temerarium eſt. Nam ſi reſcripſeris leviter: *ſi ſummes, poteſt,* convenienſsimè reſpondebit, Lesbonicus; *Nequaquam argenti ratio comparet tamen.* Aliàs profectò quomodo conſtabit ἀκολυθία? Hoc primum. Deinde Rudente cum legitur. PL. *Dic ergò quanti cenſes* TR. *Egone? cenſeo.* PLe *At ſume quidem ne cenſionem ſemper facias.* Vel me ſilente ultrò jam verum obrepat lectori quidem haud ſegni, legendum videlicet, *At ſumma quidem ne cenſionem ſemper facias.* Herus cum moleſtâ iſtâ & vagâ reſponſione, *cenſeo,* ipentidem obtunderetur ad ſtrictiorem quandam cenſionem & veluti ſummarum, ut alibi loquitur Comicus, ſummam, ſuper præſenti re dandam ſervum adhortatur. Hæc noſtra de

controverſo hoc loco ſententia; quæ vel id mihi verior, quod facilior. Rarò coacta procedunt negotia. Sed de Apulei loco ut id quoq; admoneam tamen: Vox iſta, *vocumq; ſer.* non Lucij ſed Modij eſt ex veteri & ſcriptâ *locumq;*. Quam ego verò retineam, & optimè conjecturæ noſtræ conſtabit, ita *Sic allocuta; ſummat opes domus aureæ, locumq; ſervientium populoſam familiam auribus earum, demonſtrat, lavacroq;*. Sumnat, inquit, opulentias iſtas & locum in quo paſsim famulantes illæ voces, demonſtrat. *Servire* autem *populoſam familiam* non proletariæ elegantiæ ſit, ſed formæ ejus quâ & Comicus *ſervire ſervitutem*, dixit. Attexam ex eodem Apuleio, lib. 5.

> *Sic illa verboſa & ſatis curioſa avis, in auribus Veneris filium lacerans exiſtimationem gannibat.*

Solœciſſat manifeſtò hæc lectio. Quid enim eſt, *in auribus Veneris filium lacerans exiſtimationem?* Scribo: *filij inlacerans exiſtimationem*, extracta à proxima voce literâ. Nec aliud peccavit lib 6.

> *Pſyche verò humi proſtrata, & quantum viſu poterat, volatus mariti proſpiciens, extremis affligebat lamentationibus animum. Sed ubi remigio plumæ, captu maritum proceritas ſpacij fecerat alienum.*

Facio enim: *Sed ubi remigio plumæ raptum maritum proceritas ſpacij fecerat alienum.* Item lib. 11.

> *Mundoq; pretioſo & attextis capite crinibus, inceſſu perfluo fœminam mentiebatur.*

Emendo libens *inceſſu ſuperfluo*. Et apte capies inceſſum affectatum, de quo Arbiter; *Quo inceſſus fuco compoſitus*. Claudam hæc loco Liviano. Ajt lib. 22. de pugna ad Thraſymenum.

> *Poſtquam in patentiorem campum pandi agmen cæpit, id tantum hoſtium quod ex adverſo erat, aſpexit: à tergo ac ſuper caput detectæ inſidiæ.*

Hæſerunt in hoc loco alij. Glareanus vocem *detectæ* poſitam

putavit

putavit pro ſimplici *tectæ*. At repperit in Scripto Lipſius, *ſuper caput deceptæ inſidiæ*. Quod tamen an in *decepere* cum eo commutem, adhuc cogito. Dictum fortè noviter *deceptæ*; ut demiſſas inopinatò in caput, & veluti deſuper inceptas inſidias intelligat. Et certè id Livij verba declarent. Vocem verò hanc caſtrenſem ſive theatralem propriè eſſe ex Apuleio videre eſt. Ajt libro, *Jam totâ ſuavè flagrante caveâ montem illum ligneum terræ vorago decepit.* Ita enim lego, non *decerpit* aut *recepit*. Plautus, *Decipiemus foveâ lenonem Lycum.* Et eòdem planè, quò Apulejus, alludit; Quod ideo dico quia in alia omnia abire video interpretem.

CAP. XI.

Exercere victorias. manum exercere. Valerius Max. correctus. Senecæ lectio alibi reſtituta, alibi defenſa.



VAlerij verba ſunt libri noni capite ſecundo:

Quia dum quærit victorias, ſcipionem ſe populo Romano dum ſævitiam exercet Annibalem repræſentabat.

Vbi repigravit ſententiæ curſum Pighius immiſſâ, ex Campenſi & Vnicheliano, voce, *ſævitiam*. Merùm ea gloſſematium eſt, & utriq; etjam Anglicano deeſt. Venuſtè autem inter ſe comparat, *quærere victorias*, &, *exercere*. Nec Maro diſsimiliter locutus 2. Georg. *Tunc deniq; dura Exerce imperia*. Et Seneca de Clementia, *potentiam exercere*. Sed eodem de Clementia libro in vulgatis reperio:

Humili loco poſitis exerere manum, litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ ſuæ gerere, liberius eſt.

At diu jam inclinabam legere: *exercere manum*; & verò ita ſervari in membranis omnibus, docuit me nuperus Senecæ cenſor. Hoc igitur non leviter tranſmittendum, & paret pro-

verbiali formâ adumbratum de ijs, qui se ludicro pugnæ genere, &, ut Varro dixit, schiomachiâ exercent. Sed Sosia Plautinus serium certamen extimuit, Amphitruone: *Gestiunt pugni mihi. Si in me exerciturus quæso in parietem ut primum domes.* Denique persuadet valide, quod posui, idem iterum Seneca, paremicōs quasi prolatum lib. Natural. Quæstion. VII. *Solvere ista quid aliud est, quam manum exercere, & in ventum jactare brachia?* Et collocat lectionem eam extra aleam omnem codicum meliorum consensus. Quare dissentior jure ab acerrimo alioquin Senecæ nostri propugnatore I. Grutero. Is conjecturam suam: *inane exercere*, h. e. ipsum aera, hic retinere se profitetur, quòd invenerit in Coloniensi: *inanum exer.* Sed (ut omittam firmare id conjecturam nostram) quid est, *in ventum jactare brachia*, nisi ipsum percutere & exercere aera? Quare ab illo jure, ut dixi, dissentior. ab illo inquam, cujus industriæ aliàs ac, diligentiæ æternum debebit Seneca.

CAP. XII.

Correctus sæpius Petronius, & per occasionem Senecæ pater fide libri.



CHRYSIDIS, apud Petronium, lepidissimæ illius cum Polizno sermocinationis membrum istud insanum puto:

> *Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quò facies medicamine attrita & oculorum quoq; mollis petulantia?*

Nam voculam, *quoq;* otiosum hoc loco & omnino supervacuam legi, facilè mihi dabit, cui attentior auris. Puto haud inconvenienter fecerim, *Et oculorum quòquò mobilis petulantia?* Aut certè, *quàq; mollis.* Quid, inquit, sibi volunt quòquò versum versatiles illi & petaces ocelli? Nec dissimile quod Apulejus in re haud multum etjam absimili de Venere scripsit lib. Miles. *Et nunc mitè conniventibus, nunc acrè comminantibus, gestire pupulis*

pupulis, & nonnunquam saltare solis oculis. Nec abit ipsius Arbitri Epigrammatium:

O blandos oculos, & inquietos,
Et quadam propriâ notâ loquaces.
Illic & Venus, & leves amores
Atq; ipsa in medio sedet voluptas.

Deinde dictio *petulantia* signanter admodum hic expressa est, & valet, quod in notissimo versiculo legitur: *Minerva flavo lumine, Venus peto.* Hæc cum ita sint, opportune in medicinam rapio Senecam patrem, lib. Contro. 5. Contro. 6. Vulgatur: *Muliebrem vestem sumpsit, capillos in fæminæ habitum composuit, oculos puellari lenocinio circumdedit.* Sed disertè in veteri scripto legi: *oculos puellari lenocinio circumtulit.* Quare non fefellit me, ut spero, divinatio mea hoc loco. Sequitur statim in Petro.

Sive ergo nobis vendis quod peto, mercator paratus est:
sive quod humanius, est, commodas, effice ut beneficium
debeam.

Obvium fortassis & pusillum quod moneo, sed magnum videatur, vel quia magnis viris elapsum. Dico fugisse sub finem literam, quâ reprehensâ, rotundior erit oratio: *Sive quod humanius est, commodas, efficis ut beneficium debeam.* Ibidem:

Quo incessus tute compositus?

Corrigunt, *arte compositus.* At quantò ex literarum reliquijs verius sit, *fuco comp!* Plautus, *Vitia corporis fuco occulunt.* Est deinde inter Epigrammatum fragmenta:


Ergo age, duremus, quamvis adoleverit ætas,
Vtamurq; annis, quos mora parva teret.

Quis ambigat aptius fore: *quos mora parva teret?* *Annos terere,* quomodo *diem terre* dixit Trinummo Comicus. Et Martialis: *Nunc nos maxima Roma terit.* Quod, licet huc non facere admodum videatur, facit tamen.

CAP.

CAP. XIII.

Perdepscere, habere pro habitare. absuetudo. aliquante ad Apologiam Apulei notæ.


Pologiam Apulei à Casaubono recensitam ut vidi nuperè, avidè sanè percurri. Quid dicam? Vitium virtutum sit in illo extulisse viro diligentiæ & industriæ dotes; in quo supra utrumq; tam effulgent eximia alia, tam excelsa. Sed ne ego meritissimo ejus præconio obscævus obveniam, hoc agamus. Videor inquam, illâ ipsâ Apologiâ reddidisse lucem loco super quo vix hactenus satis disputatum est. Editur pag. 307.

> *Negatur enim quicquam histrionis habuisse præter impudicitiam. In hac etjam ætate, quâ nunc est, qui ipsum deperduint multi sunt*

Si quid ego sentio disertè hisce verbis quævis passum istum innuit Æmilianum; idq; non ævo solum juvenili sed senili quoq; soluisse, Quare non assentior eruditissimo illi viro divinanti; *qui istum di perduint, multa sunt.* Nec ijs, qui volebant, *depereant.* Omnino verum est, *qui ipsum perdepsuint, multi sunt.* Inversæ fuerant characterum notæ, eaq; corruptæ dictionis causa nec hâc alia cura. Catullus:

> *Hoc ne ipsi accideret patrui perdespuit ipsam*
> *Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.*

Deniq; apud Catonem de re Rusticâ *condepsuit* invenio pro, *commiscuit*, item *depsito*, pro, subigito pag. 764.

> *Sed quod vivo gracili lare, quod pauciores habeo, parcius pasco, levius vestio, minus obsono.*

Fecero, *paucioris habeo*. *Habere* pro, habitare, comicis, poetis crebra dictio: pag. 285.

Cui

Cui tamen rei tot numero adhibuissem? si conscientiæ nimus multi sunt.

Ait nihili lectionem vir doctus. Rectè. At quam facilè verissimam sententiam educimus, levissimâ distinctione: *Si conscientiæ? nimis multi sunt.* Cetera omnis correctio supervacua. pag. 302.

Mulier sanctè pudica, tot annis viduitatis, sine culpâ, sine fabulâ, assuetudine conjugis torpens.

Contrarium verum sit; *desuetudine conjugis.* At id literarum reliquijs remotius est, nec ità locutum Lucium certâ de causâ imaginor, sed potius, *absuetudine.* Quod peritiores cogitabunt. pag. 304.

Ego ex fatigatione itineris advectus, apud Appios veteres amicos.

Videtur scribendnm; *abvectus*, Deflexerat ab itinere suo pergens Alexandriam, cum lassitudinis viæ levandæ, tum amicos veteres salutandi ergò. Clarum ex præmissis etjam sequentibus: *Ac primò quidem voluntatem meam verbis in versis periclitabundus, quoniam me viæ cupidum & aversum ab uxoriâ re videret etc.*

CAP. XIV.

Variæ ad Solinum censuræ.

IULIO Solino, qui licet accurratè ad vetustos codices acrium Criticorum cura jam diu collatus sit, lucem nihilominus & necessariam addidisse videor haud paucis locis. Ait cap. 7.

Egredienti in littore occurrens, honoravit eum.

Præfero antiquitus excusam lectionem: *Egredientem in littore occurrens honoratus est,* & ita Angl. MS. priscus, Agnosco autem phrasin veterem, patiendi scilicet pro agendi verbo. Valerius Max. *si toto mortali habitu, divinum captatus est.* Et alibi; *exiguo mo-*

quo momento maximæ rei casus fluctuatus est. Non itaq; immutatum oportuit. Cap. 19.

> *Ister Germanicis jugis oritur; effusus monte, qui in Rauracos Galliæ spectat.*

Quod in libro eodem erat, peritioribus libens præsento: *Ister Germanicis jugis effusus, montes Rauracos Galliæ aspectat.* cap. 26.

> *In proximis Vlyssipponis equæ lasciviunt mirâ fæcunditate: nam spirante Favonio vento concipiunt.*

Clarius & elegantius Anglicanus: *Nam aspiratæ Favonio.* Cap. 28.

> *Luna nitescente, gregatim amnes petunt; mox aspersi liquore, solis exortum motibus, quibus possunt, salutant.*

Quid est, *luna nitescente*? Deinde, cur super sole sententiam claudit, quam à Lunâ instituerat? Videtur sanior scriptura libri: *Luna crescente, gregatim amnes petunt, mox aspersi liquore, sideris exortum motibus.* etc. Cap. 33.

> *Inter quæ incendia jugis æstus*

In eodem reperiebatur: *interq; incendia.* Recte. & statim ubi sequitur: *ita somno obsopitis, è capitibus desecant lapides*, scriptum erat; *ita somno obsitis, capita desecant.* Quod præoptem. Cap. 34.

> *Satyri de hominibus nihil aliud præferunt, quàm figuram. Ægipanes sunt, quos pingi videmus.*

Itane? Ægipanes sunt omnes quos pingi cernimus? Insubidum id dictum. Liber, *Ægipanes hoc sunt, quod pingi videmus.* probè & cogitatè. cap. 35.

> *Tantis agminibus extollitur inter objecta rupium, ut ruere potius quam meare credatur.*

Intelligit Nilum. At vetus efficacius: *inter objectatum rupium.* Deinde, *ut rumpere potius quod manare credatur.* Quod alij cogitent. Ibid.

> *Præterea habitant in Insula Nili homines formâ*

perexigui

Perexigui; sed audacia eò usq; præditi; ut Crocodilis se offerant obvios.

Idem, *eò usq; pergunt.* Deinde cum legitur in excusis: *Eligitur sacer lucus, in quem compellunt animalia diversissimi generis,* omnino reducenda prisca scriptio, *in quo consepiant animalia.* Cap. 26.

Porro verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergreßi.


In veteri erat, *vertibula.* &, *supergressa.* Cap. 40.

Pyrrhites fulvus est, teneriq; se vehementius non permittit.

Idem, *terique se:*

CAP. XV.

Id adjuvare. vetus verbum, per tempus obviam ire. capere. ibus. Plautus aliquoties emaculatus Varro semel.



XSTAT Pænuli prologo.

Valete atq; adjuvate ut vos servet salus.

Geminum germanum apud Catullum invenies, si rescripseris leviter; *idq; adjuvate.* Ajt, *illud adjuvate ne quis liminis obscerat tabellam.* Nec M. Varronis os dicendi hoc genus abhorruit. Locus, quem intendo, ab alijs quidem allatus, sed consideratus haud satis. Vulgatur lib. de re Rustica 1. cap. 2. *Nec ullæ, inquam, pecudes agriculturæ sunt propriæ nisi quæ agrum, quo cultior sit adjuvare poßunt.* Velim enim qui doceat quas intelligat Varro proprias pecudes? Scio Plautum alibi *agnum proprium* dixisse sed re & mente diversâ. Clarum mihi hic erratum, nec eradendum nisi viâ tali: *pecudes propitiæ.* Hoc ita esse, non negabit scio, quem superiora Terentij verba non præterfugerint & maximè ista: *Quædam enim pecudes sunt culturæ inimicæ.* Porrò quod sequitur Pænulo Scena, *Sæpe ego.*

MIL. *Scitum est, per tempus si obviam is, verbum vetus,*

Valde satagit cum Turnebo Lambinus, quodnam hoc sit verbum vetus. deniq; interpretatur illa verba, *per tempus si obviam is verbum vetus*, si tempore & tempestivè usurpetur. At mea sententia est, illud ipsum veriverbium esse: *per tempus si obviam is.* Hoc enim dicit Milphio, Vetus est, quod herus blandiatur servo, per tempus videlicet & occasione ac re sic poscente. Ita verò capi apud Accium dictionem *obviam* paret ex eâdem hac fabulâ, scenâ *Agedum, Quæso in comitio estote obviam.* Et iteratur hæc formula Truculento, *Euge funde & ades, per tempus subvenistis.* Est deinde scenâ: *Ita me Dij.*

Sed si properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc adduxisse oportuit.

Agnosces Plautinam dictionem, si distinctione refinxeris, *magis Pridie nos.* Truculenro dixit, *Triduo prius prædivinant quo die esuri sunt.* Arnobius imitatus est, *mugitibus editus multis prius mense nascitur decimo* etc.

Scena, *Jam tenes præcepta.*
Agite inspicite, aurum est.

Videntur inserendæ, personæ advocatorum ità, AD. *aurum est.* Nam silvisse eos post inspectos & examinantos nummos vix est simile vero. Scenâ, *Quid est?*

Rem adversus populi sæpe leges.

Manifestò interfecta oratio absentiâ verbi, quod libens reduco: *cæpijt leges.* Innijt, inquit, leno rem & pactum contra populi scita sive leges. *Cæpio*, ista mente proba & prisca vox est. Persâ, *Libido extemplo est cæpere convivium.* Truculento, *ubi nihil habeat, alium quæstum cæpiat.* Hæc de voce; de re I. C. consulẽdi, nam iterum invenio, Trucul. *Quæ adversum legem accepisti à plurimis pecuniam.* Eâdem Pænulo diu quæsivi Scenâ, *Dij illum*, quid ea Lenonis verba velint,

Quoniam illa non bona
Aruſpex dixit, deam eſſe indignam credidi

Sed valide ſilebant interpretes: Ego tamen officio eorum convenientius credidi hæc talia enotare & prodere quam mero meridie prolixas adeò accendere & caſſas faces. Nos idcircò remigio noſtro diverſim & ſalo quodam fluctuavimus cogitationum. Nec quicquam tamen extrudere potuimus niſi critico ferro ſemitam præſterneremus, quæ talis.

Quoniam illa non bona
Aruſpex dixit, deam eſſe indignatam credidi.

Vel deniq;, *deam eſſe indigetem credidi.* Nam legere me apud neſcio quem memineram, *indigetem* intelligi, qui nullius rei indigeret; & hinc ceciniſſe ſuper hac ipſâ Deâ Carum. *Ipſa ſuis pollens opibus nil indiga noſtri,* Poſt id, Feſtum adij, qui ſuggerebat, *Deos indigetes dici quorum nomina vulgare non licet* Iuvenalis deniq; neſcio quid de *indigenis* inijciebat. *Indigenas* dico qui Graijs authochthones dicti. Verſus poetæ luculenti ſunt:

Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens. Tunc cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla ſuper nubes convivia cælicolarum,
Nec puer Iliacus.

Quare in Plauto ſi legamus, *Deam indigenam fuiſſe credidi,* innuetur priſci ævi continentia & ſanctitas. His iſtis variè corraſis contenti deſtitimus, & ſenſimus non quidem explementum deſiderij noſtri, ſed quaſi lenimentum. Sequitur ſtatim ſcenâ, *Suſpendant omnes.*

Ità mihi renunciatum eſt, quibus credo ſatis.

Præter quod verſus numeri luxuriant, valde probabile ſit dixiſſe Agoraſtoclem; *ibus credo ſatis.* Nempe δεικτικῶς, manu innuiſſe quos adduxerat ſecum advocatos. Certè leno-

nis responsio vehementer id poscat. Subdit enim continenter: *Malus es captatum me venis cum testibus.* Et quis ignorat solere hujusmodi voces librarijs istis vervecibus insolentiores, inverti plerumq; imò everti?

CAP. XVI.

Serotini lusus. delitijs carpi. Valerius Maximus sæpicule restitutus.



Abemus porrò apud Valerium, lib. 6. cap. 5.

> *In castris etjam non eques, non centurio stipendium dari sibi desideravit.*

Vterq; Anglicanus, *non eques, non centurio impendium dari sibi desideravit.* Quod Valerij germanum est. Macrobius, *Qui impendio exhaustus.* Cap. 7.

> *Q. Lucretium proscriptum à triumviris uxor Thuria inter cameram & tectum cubiculi abditum, etc. tutum præstitit.*

Quid est, inter *cameram* & *tectum cubiculi abditum*? Non facilè expedio. Idem iterum Anglicanus, *inter cameram & tectum cubiculi aditum.* Quod capio & probo. Lib. 7, cap. 4.

> *Aciem populi Rom. compluribus astutiæ implicatam laqueis.*

In altero Cantabrigiensi, *complicatam*, inveni: In altero, *copulatam.* Quod ego recipiam. Plautus, *Me quæritant, in manibus gestant copulas.* Lib. 8. cap. 8.

> *Scævola autem quietæ remissionis eorum certissimus testis.*

Inquietat sententiam *quietæ* ἐπίθετον, ineptum planè ad *remissionis* dictionem. In eodem veteri est, *questi remissionis*, verum erit, *qui est remissionis.* Et firmàt alter in quo compendio pictum, ꝗ̄. 7. statim:

> *Vt enim in rebus serijs Scævolam; ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat*

Alienum

Alienum à moribus & virtute viri laudati, *scurrilis* vocabulum. nec in melioribus ullis MSS. comparet. Obelo itaq; transfigimus, & veram lectionem vestigamus ex hisce vetustæ scripturæ reliquijs. Pighij codices referebant, *in scenis:* nisi quod unus, *in senis.* Hinc forte legendum ipse censuerat conjunctâ voce, *inserijs*, ut esset, non serijs, Et vero ita in altero meo ferè erat, sed disjunctim, hoc modo: *in serois.* Vnde suspicio mihi nata, fuisse, *in serotinis lusibus. Serotini lusus* sunt, quîs post legitimam à curis vacationem operamur. Clarum ex vocis notione. lib. 9. cap. 1.

Quanta, dum delitijs nimijs capitur, amplißimi imperij ruina evasit.

Eximiè vetus: *dum delitijs nimijs carpitur.* Non tantũ capiebatur, sed carpebatur & veluti dissipabatur solida illa & sublimis dignitas vilibus istis curis. Seneca apposité, *Non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur.* Cap. 3.

Sed proprietatis eorum certißimæ sunt imagines, quas dij ipsi in claris personis, aut dicto aliquo aut facto vehementiore conspici voluerunt.

Non ineptè abesse reor ab utroq; veteri dictionem, *dij.* Deos enim vitiorum causas motoresq; facere, nec ethnica solet impietas. *Quas*, itaq;, *ipsi*, lego, & capio affectus, nempe iræ & *odij*, quod præcessit. Ij dictorum factorumq; talium stimuli & proprij curatores, Cap: 8.

Itaq; exiguo momento maximæ rei casus fluctuavit, utrum captivus an victor.

Ità quoq; uterq; Anglicanus, nisi quod *fluctuatus est* malunt, quàm *fluctuavit.* Et ut video Valerio familiaris hic ἀρχαϊσμός. suprà, *Eadem hæsitatione P. Dolabollæ animus fluctuatus est.* Lib. 9. cap. 15.


Nam ne Equitium Firmo Piceno monstrum veniens, relatum jam hujusce libri superiore parte prætercam.

In pris-

In priscis libris est, *è furuo Piceno monstrum vehemens.* Et certe tale aliquid vult. Dixerat de eodem suprà, *Nescio quibus tenebris protractum portentum.* Plane, inquam, tenebrionem fuisse notat & filium terræ; qui nihilominus claritatem majoresq; illustres præsumeret atq; affectaret. Sed quare Valerio *Picenum furuum*? Ego *furno Piceno* faciendum ferè suspicer, cum illud præsertim Plinij recogito: *Durat suo Piceno in panis inventione gratia.* Vnde & Martialis, *Picentina Ceres.* Et Macrobius deniq;, *Panes Picentes.* Itaq; si vel *furvo* reservare cui libuerit haud longè quærendæ causæ. Hæc paucula ex multis carptim deprompta sint; Cetera commodiori & loco & occasioni reservabimus.

CAP. XVII.

Mei majores, sui meliores, hellenismi Apuleiani. id pro ideo. incertare. superare. Catus. Apulejus emaculatus & Plautus.



QVàm Apulejo familiares hellenismi, viris eruditis sedulò & sæpiùsculè adnotatum. Et verò viâ istâ haud pauca in Lucio illustriora reddi & meliora posse nemo, credo, negabit. Vnum superius ex tertiâ Milesiâ, ubi vulgò, *sed statuas dignioribus meisq; majoribus reservare suadeo*, restitui, ut spero, ad rem & mentem aptissimè, *meiq; majoribus.* Sed similis elegantiæ locum cum adducere tunc supersiderem, hoc loco non negligam; vel quia comperi postmodum, silentij ejusmodi haud tutum præmium. Ajt itaque Lucius Lib. 8.

> *Quasi deum præsentia soleant homines non sui fieri meliores, sed debiles effici vel ægroti.*

Vbi disertè, *sui meliores:* eâdem & Graiâ formâ quâ fecimus, *meiq; majoribus*, gignendi scilicet pro auferendi casu. Quod & eò diligentius admonitum volui quia visus juvenis doctus neuti-

Quas neutiquam hæc ista capere nisi stili acie eraderet porrò dispungeretq; vocem *fui*. At illa, quod puto jam liquere, lepôris ibi omnis & elegantiæ fundus est. Adnectam ex Plauti Milite locum qui similiter haud proletariæ venustatis sit, si rectè legatur tamen. Ajt de Periplecto mene sene Palestrio Sc, *Cohibete*,

Si alibus capillus hic videtur, neutiquam ingenio
est senex.

Inventum in duobus codicibus membranaceis: *neutiquam ibi ingenio est senex.* Vnde recte se correxisse, *ab ingenio est senex*, quingenario sacramento contendere audet Casper Schoppius. Ego sacramento ullo haud facile contenderim, conjectura tamen, quæ mihi jam diu sub calamo, ista est;

Si albus capillus hic videtur, neutiquam id ingenio
est senex.

Quâ nescio quomodo excitari sententia videatur magis atq; erigi. Sed erit aliorum arbitrium. Interim eâdem Milite eandem hanc dictionem & vocem eliminatam suspicabor statim in Prologio, ubi editur:

Ajt sese ultrò omnes mulieres sectarier,
Is deriduculus est quàquà incedit omnibus.

Nam si legas, *id deridiculus est*, erit ἐμφατικώτερον. Sed quia quasi per satyram incepimus, veniatur & ad Epidicum. Vulgatur Actu quarto Sc. primâ.

Longa
Dies meum incertat animum, sin ea est, quam
incertò autumo.

MS. noster Anglicanus, cujus jam sæpius meminimus, liquidò pro *autumo* præferebat *animo*; pro *incerto*, *incento*, sive idipsum *incerto* scriptum fuerit nequeo liquidò dicere. Vt ut sit haud magna differitas est; Et id saltem constet non esse receptam lectionem germanæ notæ: Itaq; cogitabam; *quam incerto animo.*

P In-

mo. Incertare animo, ut Apulejus, *singultu lacbrymoso sermonem incertans.* Deniq, Casinâ Sc. *Neq, quò fugiam*, ubi legitur:

Tantum berus atq, ego flagitio superavimus. Miratus sum intellexisse id interpretes quasi dixerit, *superavimus*, nempe, *omnes mortales*, nullo lepore; qui tamen hîc maximus est. Maro, *Satis unà superq, Vidimus excidia, & captæ superavimus urbi.* Quocirca nec restabo si quis malit, *tanto berus atq, ego:* quod & res exigere videatur. Verum à Lucio quia caput hoc auspicatus sum, age finiatur & ejus verbis. Ajt libro 8. de Thrasyllo Charite:

> *En, inquit, fidus conjugis mei comes, en venator egregius, en carus maritus.*

Sed quomodo hîc Thrasullus, *carus maritus*? Nugæ meræ; & ne iromicōs quidem potest: Itaq;, quod suspicatus sum dudum, fefellit librarios venustum & transmarinum dicendi genus, quod ego volentibus Musis reduco & lego: *en carus mariti. Carus*, φίλος est. Ausonius, *Nomina carorum jam condita funere justo.* Et Apulei sympatriota Cyprianus: *Sit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris & tristis avulsio.* Et iterum, *Magnus nos illic carorum numerus expectat.* Sed videat, qui volet, ejus de Mortalitate libellum, ubi & pluries reperire est.

CAP. XVIII.

Variæ ad Philosophum Senecam censuræ Vna ad Cor. Nepotem in Attici vitâ.



IT Seneca libro de Brevitate vitæ Cap. 19.

> *Quid sit quod bujus mundi gravissima quæq, in medio sustineat, supra levia suspendat, in summum ignem ferat, sidera cursibus suis exciter.*

Vetus scriptura est, *sidera civibus.* Inversis literarum notis faciendum: *sidera vicibus suis exciter.* Tibullus, *Annus agit certâ lucida signa vice.* Ad Helviam cap. 16.

Scio

Scio rem non esse in nostra potestate, nec ullum affectum servire: minime verò eum qui ex dolore nascitur.

Admonet CL. V. Gruterus servare librum bibliothecæ Palatin: *scio ociorem*. Vnde conjectura blandiens mihi oblata, *scio dolorem non esse*. Imo non conjectura, sed rei verum sit. Porrò lib. 7. Natural. Quæst. Cap. 8.

Num quis nostrum crederet aut lunam, aut quinq; sidera rapi vento, aut turbine rotari?

Plenior erit sententia si rescribamus: *aut lumina aut quinq; sidera*. Vt *luminum* notione Sol & Luna capiantur; qui antiquitus inter errones non habiti. Et verò ità Pinciano complacitum, Alios tamen reniti video; nec ita locutos in Latio putant. Maro tamen: *Vos ô clarissima mundi Lumina labentem cælo qui ducitis amnem Liber & alma Ceres.* Deinde Cap. 10.

Duo debent esse motus eodem loco: alter ille divinus & assiduus, suum sine intermissione peragens opus: alter novus & recens.

Quid est, *divinus & assiduus motus*? Non dubitem reponere: *diutinus & assiduus*. Nam ajt, *sine intermissione*. Et statim, *alter novus & recens*. Simili planè modo depravatam hanc vocem apud Nepotem censeam in Attici vitâ. Ajt Nepos:

Ex quo judicari potest non inertiâ, sed judicio, fugisse rei publicæ procurationem

Habet MS. *judicio fugisse divino*. Sed quomodo in talibus divinitas, non eventuum potius variorum assidua & multiplex ruminatio judicium stabiliat? Itaq; pariter fecero, *judicio fugisse diutino*. Sequitur in Senecâ de Claudij obitu:

Jam Phœbus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant tempora somni.

Repperit in Scripto Rhenanus: *cornua somni*, quod ego genuinum pu-

num puto, & porrò legendum: *obscura* non *obscuri*. *Cornea* enim *somni obscura*, non *somnus*. Virgilius: *Sunt geminæ somni portæ; quarum altera fertur Cornea.* Et iterum: *Luna revertentes cum primum colligit ignes, Si nigrum obscuro comprehenderit aera cornu.* Deniq; in Næniâ, ubi canitur:

Et cæruleos
scuta Brigantes


Variè id exercitos habuit clarissimos viros. Putabat Had. Iunius, *Cute Brigantas* faciendum, quia Britanni cutem glasto infecisse leguntur, non scuta. Scaliger in Tibullianis Castigationibus *Scotobrigantas* conjecerat, assensu magno Buchanani secundo Rerum Scoticarum. Camdenus tamen in Britannia suâ omnino id redarguit, quem & velim videri. Ego hîc itaq; nihil definiam, illud tantum dixero non absonè videri si scripserit Seneca:

Et cæruleos
Luteo Brigantas.

Imò videantur ipsi in mentem quasi fuisse verba Cæsaris, ubi ait: *Et verò omnes se luteo inficiunt, quod cæruleum colorem efficit.*

CAP. IX.

Plautus Pseudulo, Bacchidibus, Rudente & Milite sparsim emaculatus.



AIT porrò Pseudulo Plautus Sc. *dulcia atq; amara.*

Bene sit, Charine, nolo tibi molestos esse nos
CH. *Vos molestos mihi molestum est quidem.*

Sudat hîc interpres, &, ut fit, mentem affingit Comico ex sua mente. Ego leve erratum odoror, eradendum ità. *Vos molestos mihi? molestum id quidem.* Vosne mihi, inquit, Charinus oneri & molestiæ esse censeam? Certe, ajt, id vos suspicari mihi molestum. Sc. *malus & nequam,*

Clamidatus

Clamidate cave sis tibi à curio infortunio.

Non otiosè videndum illa verba. Cogitabat clariss. Lipsius, *à curtio infortunio*, Quasi allusisset Plautus ad Romanum illum Curtium qui se cupidine servandæ patriæ in foveam animosè olim demisit. Sed longiusculè id petitum, & vix placet. Proferam quod mihi sub manu & calidè natum: *Cave sis tibi à crucio infortunio.* Festus, *crucium quod cruciat.* Vnde & *vinum* olim *crucium.* Sed ego nisi fallor, aspexerat hunc etjam Comici locum; & quis scit absq; mutilatore isto fuisset, hodieq; in Festo legeremus. Nec restabo si quis astrictiori significatu *crucium infortunium* hic capiat, *serviles*, ut Tacitus loquitur, *cruciatus.* Iuvenalis, *Pone crucem servo.* Hinc veniamus ad Baccides. Vulgatur Sc. *rebus alijs* :

Illud animus meus miratur, si à me tetigit nuncius
Quid remoratur ?

Vbi auribus meis hians oratio. Quid enim istud *si à me tetigit nuncius.* Legerim ego syllabâ auctius :

Si amecum tetigit nuncius.

Amecum pro *amicum* antiquos posuisse Festus docet. Et sæpe ità in hisce scriptoribus peccatum ignoratione priscæ scriptionis. Vidit, dum vixit, oculatissimus I. Gulielmius Casinâ, ubi editur corruptione planè pari ?

Mihi benevolentis atq; à me prodeunt,

Emendabat, *atq; ameci prodeunt.* Possim deniq; stabilire id nostrum haud absimilibus loquendi formis, Qualis illa à Cicerone laudata, ad Atticum : *Postquam ab ted Agamemnon tetigit aures nuncius.* Et apud Varronem : *Quem simul ac Romam mihi tetigit aures nuncius.* Vbi utrobiq; *aures* positum pro quod hic *amecum.* Porrò Rudente quod legitur : Sc. *Exi è fano*

LA. *Ignem magnum hic faciam.* DÆ. *quin ut*
tu manum exuras tibi.
LA. *Imo has ambas hic in ara.*

Insanùm exercitos habuit hic locus viros doctos. Turnebus & Lambinus, *humanum* divinaverant loco, *manum*. Sed id quomodo ceperint, ipsi videant. Alij alia attulère. Ego literula vix immutata convenienter certè fecerim: *quin ut tu sanum exuras ibi*, Et solet ità Plautus in re tali. Captivis.

> HEG. *Ignem ingentem?* ER. *ità dico magnus ut sit.*
> HEG. *Quid in eo volt urier?*
> *Tuan' causâ me ædis incensurum censes?*

Item Aulularia: *Tuæ mercedis gratia Nos nostras ædes postulas conburere?* Sed Caput hoc quia vagè & satyræ in morem exorsi sumus, non pigebit admonere fugisse nos superius capite 10. ubi de verbo *summare* inijciebamus, idem quoq; Milite Sc. *Curate*, videri reducendum. Vulgatur:

> Py. *Habes tabellas? AR. vis rogare? habeo & stilum.*

Nam quod capiunt interpretes verba ista, *vis rogare*, ut esset, *utendas rogare*, id verò nihili est. Habuisse enim eum tabellas liquet ex eo quod addit statim, *habeo & stilum*. Itaq; valde verisimile sit dixisse Artotrogum; *Vis summare? habeo & stilum*. nam applicat continuè miles: *Facetè advertis animum tuum ad animûm meum*. Vnde & statim summatio instituitur. Sequitur enim:

> Py. *Ecquid meministi?* AR. *memini, centum in Ciliciâ*
> *Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,*
> *Triginta Sardi, Sexaginta Macedones,*
> *Sunt homines tu quos occidisti uno die.*
> Py. *Quanta isthæc hominum summa est?* AR. *septem millia.*

Claudam hæc elegantissimâ Valerij sententiâ. Ait lib. 3, cap. 6, *Vegeta & strenua ingenia, quò plus recessus sumunt, hoc vehementiori impetu sidunt*. Vbi tamen vulgo minus eleganter editur: *hoc vehementiores impetus eduut*. Sed illud scriptum vidimus.

CAP. XX.

Panegyrici autores variè emaculati.



VALDE laudabiles inferioris illi ætatis Panegyrici. Itaq; neutiquam prætermittendi nobis & tamen non nisi cum curâ tractandi. Verùm ubi legitima illa auxilia, libri? Nos enim, preter Stephani, editioné unicam & solius Navij vidimus; sed, di boni, quam illa non bonæ notæ. Quæ itaq; ad oram ejus libri è re veluti nata appingebamus, erant potissimum ista. Mamertini Genethliaco.

Concursare inter se agricolæ, nunciare totis visa.

Putabam, *notis*. Videndum tamen ne tueri se id possit hoc aut simili Apulei, *Thrasylli convulnerat tota lumina.* Statim:

Illud verò non suggeratur, licet quomodo dicam, ante quàm desinam? tantam desinam imperij vestri felicitatem undiq; se barbaræ nationes vicissim lacerent.

Malè repetita è proxima voce vox. Itaq; face: *Illud verò non suggeratur, quomodo dicam ante quàm desinam: tantam licet imperij.* Sequitur in Eumenij pro Restatur. Scho.

Suo potissimum judicio præceptorem ei moderatoremq; tribuerunt, & inter imperatorias disponens summis rei gubernandas provisionibus occupatas, literarum quoq; habuere delectum.

Manifestò fracta sententia. Ego lego: *& inter imperatorias dispositiones summis rei gubernandæ provisionibus occupati, literarum. Imperatorias dispositiones*, quomodo Seneca *Deum* mundi *dispositorem* accepit. lib. 5. Natu. Quæs. *Nimirum in hac providentiâ dispositor ille mundi Deus aera ventis exercendum dedit.* Incerti autoris ad Constantinum:

Vicissim omnes inde dicto accedere, insequi, certare innumerabilis multitudo

Legendum censuerat vir doctus, *homines in relicto accedere.* Malim ego, *Vicißim omnes inde dicto abcedere, insequi etc.* Quod stabiliat res ipsa, & illa præmissa: *Felices qui te propius aspicerent, longius positi nominabant: quos præterieras loci, quem occupaverant, pænitebat.* Deinde ad Constantium Magnum incerti item autoris, sub initium:

> *Revera enim cogitaveram plura, quæ dicerem, sed malo orationem meam respuere.*

Refert Stephani editio: *respui*: Suspicabar ego veteri fortasse voce, *repuere*, usum autorem, quam & Festus hodieq; retenet, & Lucilius. Festus *pueros* hinc deducit, *quod puviendo coerceantur.* Et Affranius, *oppuvijs pueri coercentur.* Nihil hic interim violenter oggessero. Statim:

> *Nec Thylen ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, fortunatorum insulas dignatur acquirere,*

Scribe, *anquirere.* Et statim, *ut fruiturus exinde luce perpetua; jam videret illic diem pæne continuum.* Vulgo *futurus*, quod nescio tamen si Stephano animadversum. Deinde in Mamertini ad Iulianum Imperat.

> *Per infestos gladios, præsentesq; mortes imperium petivisti.*

Navij liber Venetijs cusus, habet, *Ponentesq; mortes.* Fuerit fors, *potentesq; mortes*, quod esset, violentas atq; atroces. Cicero ad Atticum, *potentißimorum hominum contumeliam nunquam tuli.* Sequitur statim:

> *Sed etjam vitam perosi ad inferiores aliquos inferos redire properabunt*

Ita & Stephani editio. Elegantius tamen & argutius quod reponam: *ad inferiores aliquos inferis redire properabunt*: Deinde.

> *At verò noster affectus veri certiq; judicij est, imis mentis sedibus alligatus animus, & vitæ immixstus.*

Scribe,

Scribe, *imis mentis sedibus illigatus, animis & vitæ immixtus*.

CAP. XXI.

Plauti Truculentus variè emaculata. Liberi, numero unitatis. item liberus.

SED venio ad Accij Truculentum, & eam, si pote, emollire aliquantum ac placare tentabo criticis hisce linimentis. Sc. *Non omnis ætas.*

Atq; hæc celamus nos damna una industria
Cum rem fidemq; nosq; nosmet perdimus
Ne quid parentes neu cognati sentiant;
Quos cum celamus.

Salutare profectò monitum; quod mendo tamen obsideri porrò haud sinam. Scribo primum: *hosq; nosmet perdimus.* Nempe parentes & cognatos. Geminum est Epidico: *Vbi fidemq; remq; seq; teq; properat perdere.* Item Bacch: *Quibus & me teq; amicosq; omnes affectat tuos.* Sed hac medicina nondum res facta, nisi transpositos porro versus ordine & loco reponamus:

Atq; hæc celamus nos damna unâ industriâ,
Nec quid perentes neu cognati sentiant
Cum rem fidemq; hosq; nosmet perdimus.
Quos cum celamus.

Luculenti super eadem fere re Lucretij versus; quos ego non parcam apponere:

Adde quod absumunt vires, pereuntq; labore.
Adde quod alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt:
Languent officia, atq; ægrotat fama vacillans:

Et beneparta patrum fiunt anademata mitræ.
Interdum in pallam ac Melitensia, Ceaq; vertunt.
Eximia veste, & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur
Nequicquam, quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat,
Aut qnod conscius ipse animus se forte remordet
Desidiosè agere ætatem lustrisq; perire.

Sce. *Ne expectetis,*

Ijs te dono. penitet ne te quod ancillas jam.
PH. *Quin etjamne insuper adducas quæ mihi cōmmedint cibum.*

Vel absq; indicio sit, prodit se tamen lectionis languor. Servant vetustè cusi, *quod ancillæ sunt jam.* Rectius sanè, si personarum modò notis interfertis legas:

PH. *Ijs te dono.* ST. *pænitetne te quod ancillæ sunt jam?*
PH. *Quin etjam.*

Cum tantâ eminuisse dignitate domi suæ has Syras enarrasset miles, occupat arguta Phronesium, imò te potius, inquit, talibus cohonesto donarijs. Miles verò miratus insolentiam amicæ, quod ingratam videlicet haberet munificentiam, rogat num eam peniteat, quod ad ancillarum jam & servientium essent redactæ ministeria. Sc. deinde *Blitea & lutea.*

Quamquam penes est mea omnis res & liberi.

Cedo, quis hoc divinet aut explicet Oedipus? Itaq; lego, *quamquam penes est me ea omnis res & liberi.* Male eam habet malè mulctatam tonstricem suã, cum ipsa totius rei pes exstiterit ac caput. Advertendum verò vocem, *liberi* haud vulgario hîc modo positam. Suprà multitudinis numero pro uno extulerat, ubi legitur: *Cum tu rectè provenisti cumq; es aucta liberis.*

Hîc

Hic autem gignendi casu, & quidem numero singularitatis intellexerim ut sit, *ea omnis & liberi res*, id est quæ liberum sive puellum decernat. *Liberus* enim sive *liber* pro filio dici, præter Aur. Victorem, qui *liberi exitum* & *liberi locum* extulit, accedit & Tullij autoritas lib. de Nat. Deor. 2. *Quod ex nobis natos liberos appellamus: idcirco ex Cerere nati, nominati sunt Liber & Libera: quod in Libero servant in Libera non item.* Sed de hoc qui uberius volet adeat elegantissimi & clarissimi viri Scip. Gentilis Originum libellum Singularem. Ego hic pauso.

FINIS





INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

privus

LIBRI SECVNDI

CAP

CAP. X.

Summare. Apulejus & aliquoties Plautus Trinummo ac Rudente emaculati. Livius semel.

CAP. XI.

Exercere victorias. manum exercere. Valerius Maximus correctus. Seneca lectio alibi restituta alibi defensa.

CAP. XII.

Correctus sæpius Petronius, & per occasionem Seneca pater fide libri.

CAP. XIII.

Perdepsere. habere pro habitare. absuetudo. aliquantæ ad Apologiam Apulei notæ.

CAP. XIV.

Variæ ad Solinum censuræ.

CAP. XV.

Id adjuvare. vetus verbum per tempus obviam ire. capere; ibus. Plautus aliquoties emaculatus. Varro semel.

CAP. XVI.

Serotini lusus. delitijs carpi. Valerius Maximus sæpicule restitutus.

CAP. XVII.

Mei majoribus. sui meliores. Hellenismi Apuleani id ideo. superare. Carus. Apulejus emaculatus & Plautus Milite & Epidico.

CAP. XVIII.

Variæ ad Philosophum Senecam censuræ. Vna ad Cornelium Nepotem in Attici vitâ.

CAP. XIX.

Plautus Pseudulo, Bacchidibus, Rudente & Melite sparsim emaculatus.

CAP. XX.

Pangyrici autores variè emaculati.

CAP. XXI.

Plauti Truculentus variè emendatæ. Liberi numeroq; unitatis. Item liberus.



LECTORI.

ERrata, lector, offendes haud dubio pluscula. Nam, ut ait poeta, non videmus manticæ quod in tergo est; ita alienis sæpe in scriptis Lyncei, in nostris sumus Tiresiæ. Causa etiam ut plurimùm, quod ipsi quæ scripsimus memoriâ quodammodo tenemus, & eâ potius quàm oculis legimus. Deniq; & humanum est errare, humanum autem ignoscere. Itaque

Pag. lege

1. *Condidißimus, candidißimus.*
5. *cocis locis*
8. *longævus, longævas.*
ibid. Solet venire, solet remitti.
9. *Licæo Lycæo*
ibid. Nihil amor Nihil amori.
14. *laudabilis laudabile.*
ibid. distenda deflenda.
ibid: memortam memoriam.
17. *redivum redivivum*
18. *inanites inaniter*
20. *Et se coercet modica E. s. c. modico*
21. *cenditam conditam.*
ibid. propria propitia
16. *hac hæc*
24. *clara satis claræ satis*
16. *aciorem acriorem*
16. *extemplo vadit, Ex. excita vadit*
25. *evi ævi*
26. *catharica cathartica*
27. *quodamodo à quodammodo de*
Propertio Propertio
ibid. Sybilla, Sibylla

Pag. lege.

ibid. ambigio ambigo
29. *ago at ego*
33. *scatur secatur.*
45. φυχὰς ψυχὰς
36. *suspinionem suspicionem*
37. *Farnesimus Farnesianus*
38. πληρῶπληρὸμ πηλῶπηλὸμ
29. αχραικῶς, αρχαικῶς
40. *probiliter probabiliter.*
43. *Olimpo olympo*
28. *impetiare Impetrare*
45. *idedita, dedita.*
ibid. fit fit
45. *sepiuscule sæpiuscule*
46. *ipenditem identidem*
47. *scipionem Scipionem*
ibid. Vincbeliano, Vnicbeliano
49. *cosciential conscientiæ*
52. *supersiderem, supersederem*
53. *alibus albus*
56. *ceperint cæperint*
56. *preter præter.*

F I N I S

